

R
1802

Bibliotheca Reckiana.

R Est. A-4675 II

Miscellanea Curlandica.
Tom. II

- 1., Christ. Bornmanni Sermo Augustalis ad Augustum II, Regem Poloniae. 1699.
- 2., M. D. Scripsit's Gottrich'scher Trauerstein, ein musikalisches Drama. Leipzig 1708.
- 3., Epistolog. Trauerstein's Apologischer Antwort auf Meissner's H. H. H. H., Probst zu Grotzin, Unapologischer Antwort, betrefend die über die Antwort, die ich im 14. B. No. 6. La. 6. auffaltend geschrieben, bey dem Prager und Paderborn Mißbilligkeit 1721.
- 4., Drey Salben Apologischer Apologischer über die wegen der Prager Formel in Curländischen Ministerio auffaltend Mißbilligkeit 1721.
- 5., ΣΥΛΛΗΨΙΣ Scriptorum post communicatas per Dominum Superintendentem Ministerio Curlandico Meditationes Theologicas inter authorem earum et quosdam Dominos Praepositos controversarum.
- 6., Entsprichtung der Medaillen auf die fünfzigste der Couronischen Kaiserin Catharina in Hartenabang.
- 7., Karte des Herzogs Carl an den anstehenden Adel, bey seiner Abreise von Milau den 26^{ten}

April 1760, und Verantwortung derselben bey
den Landesfürsten u. d. Hofen.

- 8., Reglement, nach welchem die freyen Steden
u. die freyen Städte Carolina auf der Ein-
ländischen Grenze ungelungen und in Mitau
eingesetzt werden sollen. 1765.
- 9., Reglement zur Erwehung der Wissenschaften
im Herzogthum Ernstaedt Gottlieb.
- 10., Verordnung der vorläufigen heimlichen
Einsetzung des Herzogs Stenar zu Ermland
Pagan, 1800.
- 11., Darstellung zu Mitau vergegenwärtigt.
- 12., Auszug aus dem Stenar Stenar Stenar zu
einem in Mitau f. vor dem General Ernst
zu vermutheter Freibath Ernst. 1778.
- 13., Nota an fünf Herrn und Landesfürst in meiner
Ernst Stenar des Herzogs Stenar u. d. Ernstaedt, geb.
saß auf Lands. 1789.
- 14., Einige in Ernst Stenar zu Veranstaltung über
gelbener Nota 1793.
- 15., Einige Darstellung der Ernst Stenar des u. d.
Ernst Stenar geb. auf Veranstaltung, meiner
ihre Veranstaltung, von Ernst u. d. Ernstaedt
1795.

- 16.) Entwurfswerbung der vorstehenden Pflanz
von A. G. S. u. S. Trindler. 1795.
- 17.) Pflanz-Entwurfswerbung und Fortsetzung der
unermüthlichen Entwurfswerbung des A. G. S.
u. S. Trindler, von G. E. u. S. Trindler.
1795.
- 18.) Mitauische Linné-Ordnung. 1729.
- 19.) E. W. Roux Darstellungsbuch bei Gazi-
jung des 1743 erbauten Mitauischen
Hafens. 1743.
- 20.) Angabe für die Mitauische große Markt-
straße. 1766.
- 21.) für Pflanzbau: Aus dem Standort des vollen
Zirkels, oder einleuchtend von Pflanzbauern
Freund, des 9^{ten} Aug. 1790.


Sermo Augustalis,
ad
AUGUSTUM SECUNDUM
AUGUSTISSIMUM,
Regem Poloniae,
Magnum Ducem Lithvaniae,
Electorem Saxoniae,
&c: &c: &c:


Stylo Amoris ac observantiae
exaratus;

In Fano verò Gloriæ,
fixâ ad Famæ aram tabulâ,

Æternitati
cum voto
consecratus
â

CHRISTIANO BORNMANNO,
Deliciano Mifnico,
P. L. Cæsareo & Duc: Bibliothecario.





Serenissimo Potentissimoq;
Principi ac Domino,

Domino

AUGUSTO SECUNDO,
Regi Poloniæ,

Magno Duci Lithvaniæ, Rusiæ, Prusiæ,
Masoviæ, Samogitiæ, Kioviæ, Volhinjæ, Podolia,
Podlachiæ, Livoniæ, Smolenscii, Severiæ & Czerni-
choviæ &c: Duci Saxonix, Juliaci, Clivorum & Mon-
tium, Angriæ etiam atq; Gvestphaliæ, S. Rom: Impe-
rii Archi-Mareschallo & Principi Electori, Landgra-
vio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, ut & Superioris
ac Inferioris Lusatiæ, Burggravio Magdeburgensi,
Principali Dignitate Comiti Hennebergensi, Co-
miti Marcæ, Ravensbergensi & Barbiensi,
Dynastæ in Ravenstein,
&c: &c: &c:

Est. A

Tartu Riikliku Ülikooli
Raamatukogu

18382


Regi ac Domino longè clementissimo.

Maxi-



Maxime Magnorum, REX Augustissime, Regum,
Saxoniae immortale jubar, per compita caeli
Qualiter auricomus formosi auriga diei,
Phœbus agit currum, sed Tu formosior illô.
Si potuit quondam sine crimine poter Hydaspis,
CrySTALLô brevior deum concludere Solem,
Et Mithram liquido venerari pronus in igne;
Pace tuâ liceat, Tua Maxima Nomina parvis
Claudere corticibus, quanquam vix integer orbis
Sufficit, AUGUSTUMq̃ angustâ pingere chartâ.
Jusfit Amor, vetuitq̃ Timor; Nam magna timere
Numina, Relligio est: Reverentia cordis, amare.
At tam sollicitô divinum pollice pectus
Formavit natura Tibi, ne deligat usquam
Diva sibi Virtus meliorem, & Gloria sedem.
Hinc ille, è Patria conceptus Origine, mentis
Ardor, & ingenii non deficientis acumen.
Hinc tanti miranda fluunt documenta valoris,
Qualibus aut Phrygium Trojano è pulvere Regem,
Aut Pellæ viguisse ferunt. Hinc gratia tanta
Oris, & in toto vivendi emblemate Divûm
Symbola, ne quisquam Diademate dignior esset,
Nec Te splendidior lapsis succurrere rebus.

Ergo



Ergo Tibi meritò submisſò poplite vota
Solvimus, & ſacros aris accendimus ignes.
Si tamen hæc Tibi thura minus, REX Magne, placebunt,
Et rus forſan olent, non ſtemmate nata Sabæò,
Pauperis at placeat manus & mens pura coloni.
Si DEUS & fortuna volet, ſi ſuppetet ætas,
Si tanti mereo Regis mirator haberi;
Plurimus è noſtro rivus naſcetur amorum
Fonte, nec obſcurum capient præconia finem.
Tu modò, REX AUGUSTE, fave. Tibi rideat æther,
Te velit incolumem, Te Regno ſervet & Orbi,
Te vitæ famæq; aurò lauroq; coronet!
Sic Tua Majeſtas, Sceptrò pretioſior omni,
Svaviter hîc terris, & ibi moderabitur aſtris.

S. Regiæ Majeſtatis Tuæ

Dab: Mitoæ è Muſeo V. Idus Febr:

clò lò clc.

ſervus ſubjectiſſimus

CHRISTIANUS Bornmann/
P. L. Cæſ.



Cum Bono Deo Meo!

*Magne Dei Princeps, Aquila pulcherrime Sesor,
 Synciput Imperii, Sarmatiæq; Caput,*



Gnosce, quod ex infimo avium vulgo passer ego, ad Serenissimam Aquilæ Tuæ Majestatem, insigni quidem, at religiosâ audaciâ provolo, nec vel oculorum serenitate, vel Throni sublimitate, vel ungvium severitate deterreor. Didiceram enim è famæ præconio, Thronum tuum gloriæ sedem, oculos gratiæ fontes, ungyes asertores esse potentiæ; Quamobrem revereor potentiam, imploro gratiam, admiror gloriam. At naturæ quoq; jure monitus, Augustissimi Tui Nominis adorator accedo, qui jamdudum, antequam nascereris, humili nascendi conditione Tibi destinatus fui servus atq; subditus. Tu verò à Potentissimis ad Celsissima natus, præter spem & opinionem omnium, ita volente supremô rerum omnium moderatore, Ensem cum Sceptro non mutâsti modò, sed etiam utrumq; tam arctissimè conjunxisti, ut in Saxonia Dux, in Polonia Rex; ibi Flector, hîc Electus; ibi Leo, hîc Aquila; Utrinq; Optimus, utrinq; tuereris tuos tantò major maximis, quantò minore hominum nisu, sed solius Dei nutu ductuq; ,

in eminentissimum hoc Solum adscendisti. O felicem regionem, quæ Reges Regnis, Orbi Augustos progenerat! O feliciores Sarmatas, quibus Rutæ viriditas, præsentissimum contra venenosos viperarum morsus remedium, publicò consiliò placuit! O felicissimos nos, qui mutatâ Patriâ, nativum PATRIÆ Patrem, in alio quasi orbe reperimus! Ego sanè præ lætitia continere domi animum non potui, quin verecundâ fiducia angustiis sepibus exsiliret, & non aurò, ut decuit; sed sepiâ, ut potuit, ad pedes Serenissimæ Tuæ Majestatis, descriptum observantiæ testimonium, animosâ gratulatione quàm submississimè deponeret. Si, quæ Deorum virtus est, ad humilia despexeris; si quod strenuè deprecor, clementissimò vultu annueris; non tantùm Tanto Regi loqvutum esse, sed & placuisse, quàm extremæ non fuerit felicitatis?

Certè si ad Originem illam respicimus, quâ mortalia Numina præprimis gloriari solent, Tu, Rex Augustissime, nemini Magnatum Sangvinis sanctitate concedis quidquam. Sive enim antiquitatem Stemmatis, sive Majorum fortitudinem, sive meritorum copiam, sive perennatum famæ potentiaq; splendorem, æquâ lance ponderabimus, ad multam seculorum teriem feliciter adscendis, nihil desiderari passus, quod vel divinum faciat, vel è cætero mortalium censu, singulari privilegiò redimat. Martius ille Wittekindi animus, atq; bellicosa manus, quantò robore priscam Saxo-

num

num libertatem asseruerit; quâ fiduciâ imminens collo jugum rejecerit; quantâ virtute vicies quater cum Carolo Magno congressus, herbam deniq; victori porrexit; nemo est tam hospes in historiis, quin apprimè sciat; nemo tam recutitæ mentis, quin facilè fateatur. Inuictus enim ille â solo Carolo vincendus erat, Magnò nihil olim minor, cui libertas fuerat maxima. Nec ullam tamen jacturam salutis fecit publicæ, quippè veræ salutis notitiâ imbutus, ejuratis quidem paganismi præstigiis, Caballum nigrum cum albo commutavit, atq; acerrimus deinde Christiani candoris propugnator, Ecclesiæ insignem animarum numerum adjecit, Imperium ingentibus provinciis adauxit. Quis Henricum Aucupem ignoret? Quis Maximos illos Otto- nes, Imperatores omni laude superiores, non admirabitur? Quis Friedericum Bellicosum, strenuum Saxonicæ dignitatis Reparatorem, sine reverentia prætereat? Imò injurium foret, incomparabile illud Fratrum Par non tetigisse, qui â Nobili plagiario ex Arce Altenburgensi clam subducti, mirabili tamen Dei providentiâ in patriam atq; libertatem rediêre; Ernestum puto atq; Albertum, quorum hic strenuus inclinati decoris Germanici Recuperator, pro Dextra Imperii habitus, uti Dresdensis Lineæ Fundator, ita laudatissimorum Herorum, Heros ipse Maximus, Progenitor exstitit. At quæ pagina tanto numero sufficiat? Instar omnium fuit Parens Serenissimæ Majestatis Tuæ fortissimus, qui

oppressuris Germaniam inimicis obicem primus posuit, tot hostium millibus vel fuis, vel deletis, manifestè demonstrans: In Rutæ pulvillis Lilia parum feliciter adsurgere, neq; Saxonicum Leonem ad Galli cantum expavescere. Et quid portentosa illa Viennæ liberatio aliud, quàm intrepidæ virtutis documentum, ubi Saxo pugnat, Polonus vincit, Leopoldus triumphat? Testantur id ipsum temporum testes historiæ; loquuntur numismata, triplici hôc elogiô coronata; fatentur milites, confirmant Duces, applaudit orbis universus. E Leonina hac Profapia in mundi decus & ornamentum progressus, quàm prope ad Superiorum tuorum virtutes & merita accedas, tanta rerum sunt testimonia, naturam omnia tantorum Heroum cum Titulis Merita, in Majestate Tua coëgisse, ut vivum sis virtutum omnium exemplar & compendium.

Si ergo celsius illa nascendi felicitas singulare naturæ beneficium, num fortunæ dicam, an divini potius Numinis in Te prodigialitatem, ut natu minor majorem vitâ, meritis & gloria præires, imò superares? Est scilicet aliqua in origine Magnatum divinitas, & tradux ille ignis latitare non potest, posteaquam maturuit ingenium. Quid igitur miri, si in ipsa pueritiæ tuæ aurore diluculum, in illustri juventute diem, in virili jam robore serenum solem circumtulisti? Quantâ verò curâ, quâ sollicitudine magnus ille animulus, ab Utroq; Parente fuerit custoditus, quâ industriâ in virtutum serpe-

serperastro circumductus, quàm humaniter ad humanam illam omniscientiam, id est, gubernandi artem deductus, dici non potest, nisi quòd regi volueris ante, quàm regere. Quanquam enim Principum & Subditorum eadem oriendi sit conditio; iisdem tamen vinculis, eòdem carcere liberati, longè diversam induunt faciem, aliis ad imperandum, aliis ad parendum ab ipsa æternitate destinatis. Nascuntur itaq; Principes, & in ipsis cunis etiam Magni sunt. Verùm prudentiam non è lacteis nutricum canalibus, non è sapidissimis gerularum labellis; sed ex ore doctorum, ex Heroum comilitio, & ipso rerum usu hauriunt. In Tui Educatione, Augustissime Auguste, non unus desudavit animus, non unus vigilavit oculus; sed plurimi, iiq; tam doctissimi, quàm generosissimi Heròes omnem impenderunt operam, ut Maximus olim evaderes: Aliis pietatem cum universo virtutum exercitu; aliis Pacis & Belli artes; aliis sublimioris Politix cognitionem tam feliciter ingredientibus, ut citius triumphares, quàm adultiores militiam auderent, citius regnares, quàm alii regna discerent. Adeò cuncta in Te, ipsa etiam ætate priora maturuerunt, ut si annorum seriem computemus, vel naturæ prodigium, vel miraculum dicere nihil erubescamus. Si enim non annis, sed rebus gestis vitæ metendus ambitus, verè gloriosissimus Rex es, quamq; apud alios ambitionem interpretantur, ea maximè hîc est gloria. Hanc ut assequeris, ocyus remiges Aquilæ

læ alas assumpſisti. In niveo hoc Jovis alite ipſi ſolis
 ſolio vicinior, triumphalem Auroræ currum mutuaturus,
 unde Majeltatis Tuæ radios in univerſum terrarum
 orbem diſſeminare, gratiam omnibus impertire. Præſentit
 efficaciam tanti fideris Polonia, quam obrem tutelarem
 ſibi Jovem hunc præcepit, qui aureis imbribus totam
 perplueret, atq; ſterilem hæcenus Aquilam novâ felicitate
 imprægnaret. Cui quidem congratulantur omnes, niſi fortasſè
 Saxonia raptum ſibi decus atq; Principem acrius invidet.
 Pia tamen eſt invidia, cùm quæ nobis grata ſunt & com-
 moda, aliis cum illubentia quadam animi commodamus.
 Et quis probam obſequentemq; filiam criminis accuſet, ſi ereptum
 ſibi Patrem amantiſſimum, etiam plus juſtò lachrymis
 proſequatur? Nec enim amantiſſior Principum eſt regio,
 nec ad onera patientior, nec ad fidem & obedientiam
 faciliſior. Rara etiam præſtitit tam ſagô, quàm togâ,
 pietatis in Patriæ Patres exempla, nec ullâ unquam
 protervitiſſimæ labe fuit coinquinata. Et abſentem quoq;
 amat Te, in hoc ſolùm gavifa, quòd Ducem ſuum Regiô
 Diademate videat redimitum. Quid verò non gaudeat
 illa? Si enim Macedones ob invictum mundi domitorem
 invicti habebantur, Heroïna certè audiet Saxonia,
 quæ tantum Heroa in lucis uſuram potulit, tanto Regno
 Regem communicavit. Illa penes Regium Tuum Nomen,
 aureis quidem characteribus, in æternitatis annalibus
 notabitur, atq; quoties inter Europæ mundiq;

mundiꝫ; Capita, Serenissimi AUGUSTI Saxonis laudatissima legetur memoria, toties cristas eriget, mirumꝫ; in modum illustrata superbiet. At quanta emolumenta in Saxoniam olim plenis annibus inundabunt? Quantæ hinc scaturient deliciæ? Esto enim, satis incommodè hætenus habitam, plurimum in Elevationem hanc contulisse! Annon pietas hæc debebatur Principi? Num libentius sua raptoribus Gallis, aut aliis inimicorum manibus ingessissent? Tuti hætenus & intemerati sub AUGUSTI tutela vixerant, qui vitam propriorum securitate, & sanguinem toties ausus est exponere, & Hic tantus tantillam non meruisset gratiam? Polonorum deinde cum Saxonia conjunctio, quid aliud erit, quàm jucunda quædam animorum *παραχώρησις* & immeatio, quâ lingvis, moribus, sacris & vivendi ratione diversissimi, adamantinô amoris vinculô, quàm arctissimè connectuntur, ut liberô hinc inde commercio, alteri alteris subvenire possint, & opes opibus cumulare. Quid deniq; de mutuo auxilio? Quis acinaci Polono, Saxonum animis exacuato, resistat? Quis Saxonum turbulentet, Polonorum fortitudine præmunitos? Quid dicam de pretiosissimis Amoris Regii pignoribus? Reginam Vobiscum, Populares Optimi, adhuc habetis ut pientissimam, ita gratiosissimam, & Principem Regium, quamvis trimulum adhuc, heredem tamen Paterni animi & virtutum omnium. Hôc Regis & Corculô & Ocellô, Pari Sacratissimô, satis

confir-

confirmati, an dubitatis amari? An absentis pectore simul & oculis vos excidisse putabitis? Securi vivetis imposterum, & beatæ carpetis otia vitæ, in libertate conscientiæ, in Pacis tranquillitate, in opum abundantia, in ipso fortunæ gremio. Indices sunt literæ Regis ad vos amantissimæ, obsides apud vos Dii clementissimi, testes in vobis ipse candor & fiducia; Tria sanè fortissima favoris mutui stabilimenta.

Quæ verò tanta Te, Rex Optime, vel otii nausea, vel laboris cupiditas, è tepido & lepido Patriæ gremio, in rigidam & frigidam abduxit Sarmatiam? Ubi nec Dresdæ delicias, nec Lipsiæ munditiem, nec divites Freibergæ fodinas, nec hortorum amœnitatem, nec arcium elegantiam, nec urbium aut oppidorum frequentiam, nec Saxonum tuorum fidem & amorem reperias? Ubi pro deliciis molestiæ, pro molli somno vigiliæ, pro jocis sollicitudines, & quæ non aliæ curarum vicissitudines plenis plaustris invehentur? Ubi negotii plurimum, parum otii, at immensa laborum moles humeris tuis promittitur? Non equidem vanum illud imperandi, sed liberrimo Populo serviendi desiderium; Nihil enim Bonum Regem à Servo Publico differre putant, qui Rempublicam intelligunt. Nam audire, regere, tegere, juvare aliàs singulos, aliàs omnes, quid rei est aliud, quàm occupatissimum Dominorum Ministerium? Magni ponderis Coronam capite sustinetis Reges, quam animò magis, quàm corpore; consiliò
potius,

potius, quàm robore tuemini. Vicarii DEI estis, & Dominicæ familiæ Dispensatores, cujus administratæ accurata vobis ratio olim reddenda. Quin omnem prorsus è viventium numero injustitiam proscribitis, & abactam olim ab impietate justitiam, è Deorum Concilio ad mortales revocatis?

Eâ mente venisti in Poloniam, Auguste Maxime, non ut tumultuariâ Populi voluntate, sed justis suffragiis Purpuram assequutus; non in Sceptrâ Prædecessorum, sed in eorum Virtutes descenderes. Legimus quidem fortissimorum Regum nomina, sed si unius Augusti Moderationem in Regendi normam assumpseris, verè Augustus Secundus eris. Legibus enim regitur Populus hic, & Regibus etiam suæ sunt Leges, ut Majestas non tam armis decorata, quàm Legibus armata, vel in arenam descendat ad victorias, vel in Tribunal ad sententias. Plurimi Regum per Legatos bella gerunt, ipsis interea temporis regio luxu domi diffluentibus; Plurimi Judicia ad minores, tanquam indignam Majestate rem relegant, subditis interim opulentiorum largitionibus, potentiorum injuriis, vel ipsorum etiam Judicum malitiâ pressis & suppressis. Sed Poloni soli non tam Regem, quàm Judicem sibi eligunt, ad cujus Authoritatem & Prudentiam omnes omnium animorum motus componantur. Sic in ipsa Hebræorum Republ. Judices primò Regum, & Reges deinde Judicum vices obiêre. Sic Samuelis regimen,

gimen, & Salomonis iudicium novimus. Sequutis Gentium aliis tam salutarem administrandæ Reipublicæ formam & normam, non puduit Lacedæmonios iudicium Regibus committere, nec turpe fuit Romanis Regibus Justitiæ præsidium suscepisse. In Imperio Princeps Elector eras, sed hîc Regem, Judicem atq; Ducem esse memineris. Ensem gessisti hæctenus in Imperio, & in Regno Tibi Sceptum cum Ense conceditum, ut feliciter moderari possis, fortiter dimicare, jus & æquum tueri,

Parcere subjectis, & debellare superbos;

Ut & FRIEDERICUS & AUGUSTUS, Regnum multâ accessione sensim augeas, & diuturnâ Pacis tranquillitate felicitas. Ad hoc ipsum ipsô naturæ artificio fabricatus videris, non eleganti tantum corporis habitu, facie serenâ, luminibus Augustâ Majestate fulgurantibus, pectore robusto, manu strenuâ, robore invictô; verum ingeniô etiam Martiô, miti tamen, & ad omnium desideria compositô, indole Consiliis vel inveniendis, vel exsequendis vivaci, prudentiâ in gubernatione admirandâ, Germanâ fide, constantiâ immobili, comitate Regiâ, munificentâ inexhaustâ, aliisq; tam corporis, quam animi eminentiis; ut ambiguum sit, Tunc Coronæ, an Corona Tibi plus decoris attulerit, bonis & donis naturæ omnibus, tam gloriose in Majestate Tua confluentibus, ut qui semel viderit, diligat; qui semel audiverit, admiretur. Erant equidem in primis

mis suffragiis non pauca refragia, erat aliqua in Tui Amore renuentia, multorum animis Liliorum odore aut delinitis, aut occupatis. Habuisti, fateor, Rivalem & fortem & potentem, Sangvine Regiô, multisq; egregiè gestis inclytissimum. Et futurus fuisset Rex ille, nisi Liligeros imminere libertati, odorati fuissent, quotquot manum & mentem liberam habebant. Nec dememinisse illius Valesii possunt, quibus Coronæ suæ contemptus bilem meritò movet, non unâ notatus historiâ.

Plurima quidem Electionem Tuam, Auguste Maxime, præcessere auguria, sed si sortilegio quoq;, sine superstitione tamen, non nihil fidei habendum, lepidum hoc omen recensere fortè non erit illepidum: Amicorum duodena in Welmnitianis Mitoæ ædibus confluebat, fortunâ numerum ita disponente, ut quot Germani, tot Galli, de futuro Poloniarum Rege acriter contenderent, illis quidem Augusti Saxonis; his Principis conterranei partes egregiè tuentibus. Reciprocatâ diu contentionis ferrâ, arbitrium deniq; fortunæ commissum, utramq; partem in aleam deduxit, ubi implorata Augusti Nostri felicitate, tam feliciter cecidère Germanis teseræ, ut totô tempore Galli ne semel quidem victores evaserint, sed condemnatâ spe & fiduciâ, mirabundi potius, quàm iracundi receserint. Nos verò calculorum favore confirmati, reverentius sortem habere, atq; multoties iteratam Majestatis Tux salutem,

B 2

ingenti

ingenti cum lætitia mutuoq; applausu, alacriter circumferre cœpimus, secundos Augusto progressus, pereñemq; felicitatem comprecati. At cum paulò post Mercurius literis, Fama clamore passim significaret, Augustum Electorem electum esse Regem, quæ tunc primum gaudia? Qui deinde applausus? Quæ deniq; congratulationes?

Prævaluit ergo Rutæ viror, & nescio quâ rerum humanitate fortissima illa pectora expugnaveris, ut plus pœnitentiæ attulerint, quam Tu patientiæ. Jamq; Univerſus ille Populus, quem ob Eruditionem Latinum, ob Libertatem Romanum dixeris, in vastissimo hoc Imperio submissus Tibi, mirum in modum gestit, à tam splendidissimo Rege regi, à tam Erectissimo Duce duci. Non nomina vides, sed homines liberrimos; non Aglaos aut Epeos, sed Achillæa profectò pectora, vel vincere Tecum, vel honestâ morte defungi usq; quaq; paratissima. Ferunt Stephano Battoréo, bellum vicinis Barbaris illaturo, Lubomirscium Ducem his verbis animum confirmâsse: Opus arduum est equidem & difficile, Rex; sed fide & virtute nostrâ asperitatem vel maximam mitigabimus. Ivit Stephanus, redivit Stephanius, id est, lauris & victoriis coronatus, quemq; ferreum eduxerat, argenteum reduxit exercitum. Tibi quoq;, Rex Inviçtissime, multæ refarciendæ sunt, recisæ hæctenus à Regio Pallio latinæ. Eripienda avaris Turcarum manibus Dacia & cum Novogodia Besfarabia: Camienicum, Aquilæ Tuæ

Turæ nidus quondam tutissimus, præ primis repetendum: Coërcendæ sunt spurcorum Tartarorum in Podoliam, Volhiniamq; excursiones, & prædatrices copiæ. Quorum omnium cura & cogitatio insomnem sæpè noctem, sæpè totos dies afficit. Dolendum utiq;, tot tantasq; Provincias, Majorumné socordiâ dicam, an Republicæ discordiâ elapsas; Fertilissimum Podoliæ Regnum, humanô ferè cultu vacare, & terrarum quondam beatissimam; non ad sterilitatem, sed ad ipsas Arabum solitudines redactam; tot plagiariorum examina, multa millia incolarum in miserrimam, eamq; irremeabilem servitudinem abduxisse. Nec modus aut ratio hætenus exputari potuit, nebulonum illud illuvium coërcendi. Tot bona nostrûm Consilia celeritudine suâ vel peremerunt illi, vel sceleris sui ipsius cogitata decoxerunt. Dum hîc Mandragora bibitur, Saturnius illinc oculus vigilat, nervoq; sagitta sensim aptatur. Et cessamus adhuc, crabrones illos scloporum fumô abigere? Sarculandum est istud lolium, jam olim Vobis toties totiesq; contritum, sed nescio, quô malô fatô tam copiosè renatum, quibus furiis in omne scelus stimulatam? Hîc ovibus æterna luporum laniena timenda, hîc quâvis tempestate tot metuendæ rerum vestrarum circumcissiones, quot recutitis Ebræis ingens redundat Polonia. Fovetis etenim in sinu cæcilias, viscera vobis olim arrosuras; Nutritis proditores in castris, toties exercitibus exitiabiles, quoties

meandi, & hinc inde negotiandi, multo cum abusu libertas permittitur. Nisi fortassis talpæ crediderint, infidelem illam gentem Sarmatis fore fidelem; nemo facile credet, ejuratos Christiani nominis hostes, in fidei suæ socios acinacem educturos, quibus ob novaculae incisionem sunt affines. Et quis arcanam illorum Prophetiam ignoret, quâ universam Apellarum gentem, per Poloniam vestram Turcarum ope, in Palæstinam olim redituram, firmiter sunt persuasi. Tartari verò Tartaris cognati, quid in generis & sanguinis propinquitatem sæviant? Nescio enim, quò secretò amoris filò in majores nostros, eorumq; progeniem trahimur, nec libenter in illos excandescimus, quorum communi nomine ad amicitiam invitamur. Sacrorum prætereà linguæq; conformitas multum stimulat animos, & naturali quodam desiderio ferimur in originem. Quæ fides ergo, quæ constantia ab his speranda, à quibus modis omnibus discrepamus? Idcirco amovendi sunt à Mahummedanorum vicinia infideles illi, atq; longius in ipsa Regni penetralia collocandi, ubi vicatim habitent, eorumq; machinationes omnium oculis pateant, qui jam dispersi negligentius custodiuntur. Præprimis verò eorum libertas, quam ipsi captivitatem nominant, nonnihil accidenda, ut superbia tam otiosi & fœtidi vulgi, publicis vel laboribus, vel oneribus deprimatur, ut Christianos reverentius habere discant, & Regium Ensem metuere.

Cæterum sequitur cum DEO Pacis tranquillitate, ad pristinum cultum & nitorem revocanda foret Podolia, pagos, vicos & oppida exstruendo, fortalitia excitando, colonias illuc deducendo; Erigenda forent granaria, & armamentaria omni bellico apparatu instructa, locanda item præsidia, quæ & vespis abigendis idonea sint, & habitantium securitati inserviant. Quantum, bone DEUS, Regno ornamentum! Quantum exercitibus solatium! Haberen in vastissima illa eremo suffugia, quò in Martis adversitate tutò se reciperent; Haberen opulenta Cereris horrea, ubi post tot tantosq; labores & pericula, fatigationem quiete mitigarent, nec præ fame turpiq; inedia, tanquam Bulimi victimæ, euntes & redeuntes quotannis interirent. Plura commoda reticeo, ne in publicum Consilium audere videar, qui privatis his cogitationibus svaviter mecum delector. Vos, Illustrissimi Domini Poloni, quid factu opus sit, quid fieri debeat, rectius intelligitis, & Augustissimus Augustus Vester medicam manum fidelissimè admovebit, ut latus illud se melius habeat, & adversus periculôsiores paroxismos firmiter circumfirmetur. Ad defendendas enim Regiones, adduxit legiones, mori citiùs paratus, quàm minus securè vobiscum vivere. Excutiendus itaq; torpor ille, erigendus è Veterno animus & audendum aliquid, dum Leopoldus, dum Petrus, dum Marcus informe illud monstrum, terrâ mariq; invadunt, oppugnant,

EXCRU-

excruciant : Dum Bistonios illos lepores è latibulis eruunt & trucidant : Dum tot urbes, tot arces expugnant, tot spoliis ditescunt, tot trophæis inclarescunt, ut parum absit, quin Europâ pulsi Brusiam repetant, & Bizantium Victorum manibus, multis post se parasangis relinquunt ; Ita ut non aliâs opportunior, Turcarum vim & potentiam demoliendi, offeratur occasio,

Et dubitamus adhuc factis extendere famam ?

Agite igitur, Viri Generosissimi, pro aris & focis fortiter pugnete. Si quondam turpe fuit, ignobili & ignavâ morte vitam finiisse ; quantò gloriosius erit hodiè, pro Christo, pro Cruce, pro Fide, pro Patria, pro Libertate honestè mori, quàm in otio & sagina ignominiosè vivere ? Maxima Ordinis Vestri portio in Martis palæstra educati, atq; in Campo gloriæ eruditi, universam militandi prudentiam jam dudum imbibère, nihil ad tormentorum tonitrua, sagittarum imbres, hostium clamorem & furorem expavescentes. In Polonia magnam partem & Oratores sunt, & egregiè Milites. Nôrunt & imperare, & imperata facere. In pari omnium libertate distincti militiæ gradus, quemq; officii sui commonefaciunt. Hinc nativa quædam ad benè merendum alacritas ; quot enim cicatrices & vulnera, tot benè collatæ virtutis monumenta.

Hinc ut apes inter se coëunt, gladiisq; coruscant,

Et circa Regem magna ad prætoria densi

Miscentur, magnisq; vocant clamoribus hostem.

Hinc intrepidi - - - corpora bello

Objeſtant, pulchramq; petunt per vulnere mortem.

Tanti Viri, Sereniſſime Rex, Majeſtatem Tuam in Campum Martium ſeqvuturi, accingunt ſe ad prælia. Tanta vis, non ignara belli ſtudiorum, fidem & cum fide vitam offert atq; dedicat. Illam ſi Exercitui Tuo junxeris, quid validius exiſtumes? Quid vel ad antiquum Saturni cœlum expugnandum, vel ipſum Plutonis Erebum diripiendum generoſius?

Meritò tamen in belli difficultate reveretur fortunam Dux, at fortuna Ducem potius, multa difficulter audentem. Sæpè enim neceſſitas in rationem vertenda, sæpè audacia potior eſt conſiliò, ubi vel periculum in mora, vel militum animis utendum, dum calent adhuc, dum iracundiam in hoſtium capita potius effundere, quàm inopiâ rerum, aëris injuriâ, aut cæteris expeditionum incommodis peſſum ire poſtulant. Novit S. Majeſtas Tua rerum illarum ſeriem, & omnem benè geſtorum memoriam. Quàm feliciter ſcilicet Alexander, quàm ſtrenuè Scipio, quàm fortiter Cæſar, aliiq; olim dimicaverint. Ad quorum magnanimitatem quàm propè Germanorum Aquilæ acceſſerint, Saxonici Leones contenderint, Sarmatarum populi ſe formaverint, ſemper in ſago illuſtiores, quàm in toga, ſemper foris feliciores, quàm domi, ab ipſis incunubilis fideliter comprehenditi. Hinc igneus ille ardor inceſſit animum, in caſtris, in pulvere & arena potius degere, quàm in Aulæ ſplendore ſeneſcere. Nec
C
alia

alia magis idonea offerebatur occasio, quâ profusô hostium sanguine, immortalem nominis gloriam annalibus inscriberes, quàm in ipsa Sarmatia, ubi copiosa pugnandi materia suppetit, ubi tot grassatorum greges reprimendi, ingentes raptorum vires concidendæ. Alia quidem Regna circumvallantur aut celsis montium jugis, aut frequentibus vallorum aggeribus, aut aliô naturæ beneficiô præmuniuntur, quibus eorum salus atq; quies confirmatur; Sola Polonia nudâ planicie, omnium insidiis & irruptionibus aperta, solâ suorum fortitudine defenditur. Hîc quot pectora, tot propugnacula; quot Viri, tot muri; unde inimicis ingressus semper felicior fuit, quàm regressus. Nam in tam vasto Regni ambitu subsistere diu difficile est, & nisi ingentibus copiis inundetur, erubescendum est hosti paucitate suorum, vel turpi cum ignominia pedes retrahendi. Prolixus esse poteram longâ exemplorum recensione, nisi pro me loquerentur historiæ, & res ipsa in recenti omnium memoria versaretur.

Rex es itaq; regionum amplitudine Augustissimus, Equitum numerô Fortissimus, subditorum amore Potentissimus, quæ tria Majestatis Tuæ munimina, tam faciunt exteris formidabilem, quàm indigenis amabilem. Odorantur jam Poloni comitatis Tuæ fragrantiam, quæ quidem tantò efficacior est, quantò Tu ipse modestior. Nullus in Serenitate Majestatis Tuæ nævus, nulla in luminibus morositas, nulla in sermone aspe-

asperitas, nulla in sublimi illo vivendi genere superbia, nec enim idolum representas, sed Regem; Verum mira morum & sermonum gratia, ut Magnatibus Magnes, minoribus glesus videaris, non modò ferrum, sed & paleam attrahere eruditus, ut vel semel visum non possint non omni honoris, & amoris submissione prosequi. Est nativa quædam *ευχρημοσύνη* aut benedecentia, ut nec digniorem Diademate fuisse existiment, nec sibi commodiorem exoptent. Sed animus quoq; , qualis Regem decet, erectus, optima maxima cogitans, vivax & industrius, atq; in rebus ad Rempubl. spectantibus solertissimus, ut timeant & vereantur non minus, qui svadent, quàm qui parent.

Impetrâsti ita Sceptrum virtute, coronâsti Regnum gloriâ, amicos confirmâsti gratiâ, milites devinxisti liberalitate, Populum moderaris prudentiâ, quæ omnia nisi sint maxima, majora tamen esse non poterunt. Quantam pecuniarum vim in Reipublicæ gremium non contulisti? Quantis congiariis non affecisti exercitum? Ut auream redderes Poloniam, thesauròs tuos impendisti, & impendis indies, ut modis omnibus exornes. Laudabilis profectò prodigalitas, quâ Reipubl: hortus irrigatur, & communis utilitas propriæ anteponitur. Summatum alii subditorum sudore & sanguine delicias, è miserorum lachrymis aureum rorem sibi colligunt, cum laudato alioqui Vespasiano, nullum lucri odorem ignominiosum putantes; At quàm ve-

rius feræ sunt, quàm homines? rapaces lupi, quam Pastores ovium? Tu verò Populum non tui causâ, sed Te propter Populum vocatum atq; creatum esse intelligis. Quamobrem Patris magis, quàm Domini more, commissum Tibi liberorum gregem, censu non admodùm oneras, nec rigidis tributorum exactiõibus enervas; sed avarè hæctenus pressis, aliquam respirationis moram gratiosè concedis, ut animum resumere possint, & recollectis viribus futuræ Reipublicæ necessitati efficacius succurrere. Egenam præcipuè Rusticorum gentem Tibi commendatam habes, quorum salute salus publica nititur, quorum laboribus saginamur omnes, quorum opibus opulentantur universi. Hi popularium Exercituum communis diu præda, ad incitas profus redacti, commiserationem omnium vel idèò promerentur, quòd pro simplicitate, pro fide, pro vitæ innocentia & probitate, insatiabilibus militum rapinis exponantur, non aliâ magis re armati, quàm patientiâ & lachrymis. In Lithvania præcipuè, ubi Magnatum disensiones & controversiæ in bellum intestinum exarsère, quantam heu! miseris mancipiis peperère calamitatem? Partim dispersi stipem emendicant, pars durâ fame perempti, pars raptorum crudelitate excruciat, inter gemitus & suspiria vitam protrahunt, solâ fiduciâ Protectionis tuæ incolumes futuri. Exacerbatur verò, & ferè Vatinianum odium, non feliciter minùs, quàm prudentissimè composuisti, ut
redeun-

redeuntes in pristinam amicitiam, iram cum armis exuerint, datisq; manibus in foedus publicum coiverint. Satis diu, proh dolor! potentissima Casimiri Jagellonis Patria, bellorum incommodis fuit detrita, lites litibus ultrò sese ingerendo, donec AUGUSTUS Quirites suos in Concordiam reveheret, pacem Liberrimo Populo recuperaret. Feliciter omnia! Felicia omnia!

Liliorum enim Monarcha, quamvis ob Regium illum Corrivalem tuum difficilis, tuam tamen in Moderamine Prudentiam, in tolerando mansuetudinem admiratus; ut virtutum omnium protector, ita tuarum amator, Te in sinum amicitiae ultrò admittit, & splendidâ Legatione professionem favoris sui contestatus, gratulatur Majestati Tuæ eam felicitatem, quam sibi suisq; velit propriam. S. Majestas Tua Christianissimo Regi vicissim, per Legatum splendidissimum, ostensâ Supremi Numinis mirabili directione, excusare suum ad Coronæ acceptionem non repugnantem animum. Non enim obtrusum venisse, sed invitatum. Et reciprocâtâ gratulatione, dignum tantâ, tamq; perpetuatâ felicitate senium precari, id est, integrum vitæ seculum. Cæterum, ut Coronarum Affinitas, sanguinis propinquitate diviniore esset, ita tanti Regis Amicitiam sibi fore jucundissimam. Mirum, tam subito coaluisse spiritus, & Gallum cum Aquila promptè reconciliatum. Nimi-

rum hic Jovis, ille Martis ales, ut animosissimi sunt, ita multum amici, si longâ loci intercapedine separati.

At quàm arcta Tibi cum Austria, non tam ob viciniam, quàm priscam fidem sit necessitudo, pluriina mutux benevolentix documenta plus satis demonstrant. Sacratissimi Imperatoris paternus planè in Te affectus ; Serenissimi Romanorum Regis fraternus verè Amor ; Sveciæ Daniæq; Regum amicissima inclinatio, & aliorum Maximorum in offerendis suppetiis, si opus fuerit, festina promptitudo, ingentia sunt favoris omnium testimonia. Nec minor fuit in amandi magnitudine potentissimus Rusforum Zarius, cujus vastissimum Imperium ultrâ Obium & Ostacos, incognitam priscis mortalibus gentem, ad ipsa Magni Chani Chinæq; confinia extenditur. Quoties enim & quot millium, ad stabiliendam Majestatem & securitatem Tuam, promisit Exercitum ? Juratissimus iste Mahummedanæ insanix hostis, vagabundam Crimæorum insolentiam multum compefcuit, præprimis à felici Tanais expugnatione ; jam verò à curiosa non minus, quàm periculosa peregrinatione redux, notabiliores Lunæ maculas inspersionis, forsan & lucem ipsam eripiet. Nec ipsum Solimannum odisse Te putaverim, nisi virtutem timeret. Infideliter enim amamus, quorum metuendæ manus sunt, & naturæ jure repugnamus illi, qui intentat cladem. At quid curet Majestas Tua vel amorem, vel odium Lycaonis,
qui

qui non erubuit Jovis jugulo imminere? Nec otiosa est somniantium fabula, sed reipsa deprehendis, non unô acinacis ictu Lernæam hanc Hydram enecari posse, sed plus quàm Herculeô labore Sarmaticis finibus esse ejiciendam. Verùm quàm hodiè metuit sibi tam formidabilis olim omnibus bestia, ut & tyronibus jam ludibrio sit, qui veteranos non ita pridem contempserat? Quàm expavisse dicitur Cerberus ille, cùm Robustum Saxonem, in Polonorum Regem electum, vel è primo rumusculo didicisset? Meminit procul dubio illatæ sibi, in Pannonia à Te stragis, tot millibus suorum vel ense concisis, vel turpiter in fugam prolapsis. Cùm ante prima signa intrepidum pectus opponeres, & visum à Te Solimannum ad congressum evocares; sed evanuit umbra illa militis, ac sui subductione, futili ignominia notari maluit, quàm falso laudatam animositatem egregiô facinore testatam facere. Fortassis ibi incomparabile manuum tuarum robur viderat, cùm rhomphæâ à vertice ad pectus diductâ dissecares medios, & hostium corpora tantô vulnere divisa, & æquè hinc ac illinc pendentia, metuendum ederent spectaculum; vel Turcarum, ut olerum capita passim defluerent; vel & eques & pedes promiscuè ad Orcum demitterentur. In tanta illa Thracum consternatione, victor miles recedentibus instare, mox terga vertentibus in tergis hære, castris & impedimentis direptis, ac tam tormentis, quàm immensis opibus occupa-

occupatis. Eant nunc, & coram Mahummede, auxiliatore suo, Christianorum ferociam accusent! Versatur etiamnum in oculis & oribus eorum fortitudo Tua, quæ ut multis nostratum videtur incredibilis, ita Saracenis admodum est intolerabilis. Idcirco manibus pedibusq; laborant, Pacem, Pacem inquam, accelerare; Verum enim verò, extorquere toties victi victoribus non poterunt, nisi fortassis humiliter exoraverint. At difficulter, opinor, exorabunt, nisi Cæsari Pannoniam, Tuæ Majestati & Reipubl: Camenicum, aliisq; Sociis alia rapta, capta restituere, contra ipsius Mahummedis leges decreverint. Hôc robore, his viribus insignivit Majestatem Tuam DEUS, ut etiam his, sicut & aliis insignibus donis alios antecederes, inimicorum vires confringeres, amicos tuereris, fortissimam Nationem fortitudine coronares, & ingentem hanc Regni molem lacertorum fortitudine sustineres.

Exemplum hîc fortissimi Ducis, & deinde Electoris Saxonix occurrit, FRIEDERICI videlicet III. cognomine Sapientis; E cujus manuum soliditate & robore Sulthanus, qui annò 1493. Palæstinam tenebat, indiciùm sumpsit, procreatum esse ipsum è familia valdè illustri & generosa; Quamobrem etiam honestius mitiusq; habitus fuit, atq; indemnis & multa cum reverentia ad Christianorum fines reductus. Sic hostes etiam in hostibus virtutem admirantur, ac observan-

servantiam aliquam gradus aut generis admittunt. Quod ipsum quàm egregiè compensaveris, effabitur Barbarosa tuus; ille nimirum Bassa, qui jure belli tuus, non ut mancipium, aut captivus; non ut barbarus aut hostis; sed amicè, liberaliter, & si splendidam captivitatem excipias, eximiè fuit tractatus; Ille Sere-
 nisima Tua lumina profundè reveritus, Aulæ magni-
 ficentiam, Aulicorum splendorem, Regiam Electoris
 Sedem, Dresdæ pulchritudinem, incolarum multitudi-
 nem, civium urbanitatem, circumspersæ vicinæ amœ-
 nitatem, & tanta cætera miratus; in tali Paradiso Mu-
 selmannos olim victuros, ex Alcorano suo affirmavit.
 Ille quod gratiosè dimissum, à militibus ad suos con-
 duci feceris, id ipsum & omnia Lunatico Suo Tyranno,
 ejusq; Primatibus, Ducibus, Senatui Populoq; pluri-
 mâ cum laude, gratiisq; maximis celebravit. Qua
 de causa Turcæ deinde de rigore suo, ergà captivos
 Saxones multum remiserunt, eosq; mollius ac huma-
 nius præ reliquis habuerunt.

Potuit infidelis Turcus ab Electore Saxonix hoc
 impetrare, quod ab Electo Rege Polonix nunquam
 impetrabit, cui & propinquior est, & molestior. Quam-
 obrem omnium virium connixu, omni nervorum ro-
 bore invadendus, prosternendus, & omninò extermin-
 andus.

Exorandus ad hoc prece supplici DEUS est, Do-
 minus Zebaoth, Dominus Exercituum; Ille legiones

Polonicas, polo videlicet Angelos mittet in auxilium, ut Elisæ: Ille Lithuanicas, quarum lituis & tubis munimenta prouent, ut Hierichuntis: Ille Saxonicas producet copias, & saxorum grandines in hostium capita depluent, ut ad Samuelis preces in Philistæos. At quàm inuicta hæc manus? Sola Christi Cruce cruciabuntur inimici Crucis illi; Tu verò cum Constantino M. in hoc signo vinctes, & cum Christo victore triumphabis. Non potest enim deseruisse Te DEUS, quem tam egregiè semper veneraris. Plus enim valet in bellis Oratio, quàm Ratio. Oratione cælos ipsos expugnamus, Rationem in consilium vocamus. Ultraquæ; tamen opus est; illâ quidem, ut petatum accipiamus, hæc autem, ut acceptum benè collocemus. Et iniusta bella sunt, ubi suum non tribuitur Deo; Deo, inquam, in cuius manibus posita est victoria, eamquæ; cuiusquæ; vult, pro lubitu impertit. Boni igitur Imperatoris officium est, Supremi Numinis opem implorare, & exercitum deinde in hostium conspectum intrepidè educere. Eliminandi autem sunt è Christianorum militum contubernio præstigiatores illi, qui vel cum Cacodæmone pacti duritiem, quam vocant, cutis sibi procurant, ad quosvis vel scloporum, vel ensium ictus impenetrabiles; vel bestiis, quàm hominibus similiore, nunquam devoti sunt, quàm cum sacratissima Dei Sacramenta, perjuriis & maledictionibus prophanant; aut nescio quam multiplicandi exercitus scientiam sibi somniant.

mniant. O execrandam malitiam, & ferrô & igne meritò eradicandam! Et facies hoc, Rex piissime, qui vitam & omnia ad pietatis normam componis, nec ulli vitio, quàm impietati es infensor. Duce igitur Deô, pietate comite, justitiâ præside, tutissimis rerum gerendarum auspibus, domi securus, foris terribilis, ac ubiq; terrarum celebratissimus, nullo non tempore apparebis. Atq; utinam Populus hic justissimus æquè foret, ac liberrimus, nec inclyta libertas sæpè in sævam, quævis patrandi procideret licentiam! Verùm

Luxuriant animi rebus plerumq; secundis.

Non enim tam facilè ad consummatam Venetorum virtutem adscenditur, ubi in summa Nobilium libertate, plus justitiæ est, quàm indulgentiæ; Nec verè Nobilis reputatur, quin pro legibus, fide & patria multum audeat. Et hoc quidem laudatissimâ ratione; si enim Leges tantùm repagula & lupini, usurpatæ à vulgo malitiæ retundendæ gratiâ sunt, certè potentiores praverunt, cùm licet; probi cùm liber. At quæ ista vel probitatis, vel justitiæ recitudo? Abolete impietatem & diligite justitiam, & ero DEus vester, dicit Dominus Dominorum. Felix autem populus, cui Dominus DEus est. Saxonia Tua verè Justitiæ Gymnasium est, quam si in Sarmatiam tuam revehere posses, Populum dicerem Saturno regnatâ gente feliciorum. Ignosce Rex justissime; ignoscite Poloni humanissimi; Non enim in Vos, sed in errores isthæc inceserat indignatio.

Vos universi constituitis unum, idq; metuendum Aquilæ Corpus, cujus Rex Caput est; quapropter ad venerationem vestri potius, quam ad ullam lingvæ vel calami audaciam me provolvo.

Admirari autem liceat mihi, ô Apes illustrissimæ, in Rege vestro, insatiabile illud omnia sciendi desiderium. Galliam olim amâstis, & iste Saxo vester Galus est & dicendi, & vivendi genere venustissimus. Odescalcus ambiebat Coronam vestram Italus, & iste AUGUSTUS vester Veneres Italorum omnes eloquitur. Cumq; eruditam Romæ vernaculam è Latio ad Vos transvolâsse rescisceret, præ Lingvæ tantæ desiderio eò se recepit, ubi nec Tullius peregrinus esset, nec Horatius. Mirabitur profectò Posteritas, sermonem peregrinæ Genti vernaculum, tantam tanto Regi excitâsse cupiditatem, ut in ipsa Purpura ad hauriendam ejus svavitatem, operam & oleum impendere voluerit; quin potius Borysthenem Tybridi æquaverit, illius Sermonis imperium acquirendo, quæ in sanctissima Salvatoris Cruce facundissima fuit, in Lingvis venustissima, in mundo potentissima. Non sunt isthæc Neronis scuticæ, nec Domitiani muscaria. In re pulcherrima tanta navatur opera, quanta tanto Populo potest esse saluberrima. Regii quidem splendoris est, audire per interpretes, sed magni periculi, loqui per alios. Nobile Mithridatis exemplum est, qui tot gentium Rex, totidem lingvis loqui industriè contendit;

dit ; Nec minor Regis Vestri clementia est, in ærarium Romanæ Eloquentiæ Vobiscum promittentis. Non verunt omnes, qui Reipubl: vestræ faciem didicere, Lingvæ Latinæ commercium tam familiare vobis, ut ferè pudor sit, Equitem esse, nec simul Latinum: Imò Curiam à Romana Illa Libertate & facundia parum differre, ubi tam Patroni, quàm Clientes, eodem jure, eadem lingvâ usi, non nisi Latinam sententiam à Judicibus expectant. Quis non Civis potiùs, quàm hospitis nomine, in altero hoc Latio cupiat salutari? Nusquam minus domi est hodiè, quàm in prisca patria Latinitas, nec uspiam magis amata, culta & honorata, quàm in Polonia. Hic cum bellicosissima Gente lauros dividit, hic in castris excubat, hic in Throno dominatur, in Senatu consulit, in Tribunali pronunciat, in Foro disputat, in Choro concinit, in Schola loquitur, in civitate floret, in agris laborat; nec ullus est angulus, quem non luce suâ impleat & exornet. Quàm pulchrum, Te AUGUSTUM in amplissima quadam Roma, in liberrima Republica, in Latino Populo; à Borysthene ad Vistulam, à Rubone ad Carpathos Montes; immensò terrarum spatiò, innumeræ hominum multitudini, maximis provinciis, nationibus politis & impolitis, augustissimò Sceptrò imperare? Parent Poloni, obtemperant Lithvani, obsequuntur Germani, adorant Roxolani, reverentur Cosaci, & feroces olim

Daci, armorum tuorum motu perterriti, ad officium redeunt, ultrò Majestati Tuæ sese submissuri.

Quàm verò fertilissima rerum omnium sit Polonia Tua, quàm tum ad necessitatem, tum ad delicias copiosè instructa, quàm præ laudata Palæstina lactis & mellis abundans, notius est, quàm notissimum. Tanta enim nascitur ubiq; frumenti copia, ut luxuriare solum, non gignere putetur. Pascua ubiq; læta, adeò graminibus, in deserta præcipuè ab hominibus Podolia, superbiunt, ut immania bouum cornua vix promineant, unde tot millia Podolicorum armentorum, quæ cum Lucanis bobus conferre possis, in Germaniam, aliasq; viciniore regiones, non sine ingenti Nobilium fœnore effunduntur. Sylvæ venationibus aptissimæ, variò ferarum genere, & magnâ mellis copia commendabiles. Flumina cum stagnis atq; rivis ubiq; piscibus sapidissimis habitata. Lini seges, milii & frumenti Saracenicæ uberrima. Venæ ac fodinæ salis ditissimæ. Volatilium ferarum tanta naturæ prodigalitas, ut tetraonès, attagenes, perdices atq; gallinagines huc confluisse dixeris, tanta omnium annonæ, ut opificum etiam cœnas coronent. Pomorum verò, aliorumq; horrensium fructuum tam jucunda varietas, tam salubris proventus, ut vix ullibi locorum videas meliores, aut minoris emas. Cur ergo quoddam Europæ summen Regnum Tuum non dixerim? In tanta verò felicitatis sagina ne multum proficiant

Polo-

Poloni, prohibet crudelis illa pecuniæ profusio, quâ vel Cræsi myrmecia exhauriant. Propriis enim bonis non contenti, peregrinas merces ad illustrem in victu & amictu magnificentiam, arcanâ naturæ propensione conquirunt. Pro lana delicatissima sericum, pro multo sapidissimo Rheni, Hispaniæ & Ungariæ vina aucupantes; pro piscibus domi natis Tarentinas ostreas, & haleculas Sardinenses, multo ære comparant. Lino abundant optimo, sed perrarò nent ad colum fœminæ; venditur itaq; vili, & majori postmodum pretio à Belgis contexta lintea redimuntur. De lana idem esto iudicium. Ea de causa ingens navium numerus, deportandis illis mercibus, aliisq; reportandis quotannis Gedani confluit, quod positum est ad Vistulæ ostium nobilissimum Emporium, ubi aurea mercatorum messis, ubi Polona Ceres egregiè flagellat, ubi clemens Jupiter plenis imbribus depluit, quidquid Mercurium reficit. Inclyta tamen illa Civitas, in fidem prima juravit Tuam, Rex Augustissime, cum pati quævis decerneret potius, quàm in alterius voluntatem condescendere. Pollet opibus & animis, invictum Regni Tui antemurale quoddam atq; propugnaculum. Hæc Majestatis Tuæ observantissima, & reciprocam pro amore gratiam promeretur, & potentissimam deinceps protectionem. Hæc Gemma est speciosissima, quam probè custodire non levioris est operæ pretium. Hæc Lechi filia, ab insolenti Cruciferorum super-

bia, usq; ad hoc temporis momentum fidelissima, paternâ semper charitate erit complectenda.

In tanta Tua Polonia felix etiam omnium Artium est fœcunditas, & proprium Themidos Musarumq; Domicilium. Cracoviæ, quæ Regiæ Majestatis Tuæ Sedes, sedent ad Vistulam, tanquam ad Marsiam amnem, universæ cum Gratiis Veneres, Serenitatis Tuæ conspectu & admiratione insaturabiles. Imò in sinum svavissimæ Tuæ Potentiæ humiliter demersæ, tantò felicius emergunt, quantò foves benignius. Ros enim Regum flos Legum, nec ullibi literarum studia uberius progerminant, quàm ubi gratiæ nimbis fideliter irrigantur. Oculi Tui pupilla est Universitas illa, quam quisquis tetigerit, ipsam Majestatem læserit. Hactenus enim tot Heroas peperit, tot Senatores formavit, tot Consiliò & Prudentiâ consummatos Proceres, tot facundos Oratores, tot Choro & Foro saluberrimos Antistites, tot sanitatis vitæq; tutores, ut non immeritò totius Reipubl: fœcundissima Mater, publicæq; salutis fundamentum existimetur. Doctores habet doctissimos, & Auditores generosissimos, ut ipsæ Athenæ nec Lyceô, nec Academiâ floruerint magis, aut publico plus utilitatis attulerint.

Sed parvum esset ornamentum hoc, quanquam longè sit maximum, nisi Regis Regiæq; Aulæ præsentia cœleste jubar adjiciat. Eadem enim Regis, quæ Solis efficacia fovet, ornat & exhilarat omnia. Sæpè
unius

unius Solis intuitu mœstis lætitia rediit, desperabundis fiducia: Sæpè amica Regum compellatio militibus animum reddidit, ignavis audaciam. Cæsarem vehis, inquiebat Julius Cæsar, & Alexander quid non sermone poterat? Si idem cuiquam tuorum dixeris, AUGUSTE, an ullam angustiam ab illo speraveris? Scilicet aculeati sunt Regum Sermones, & facilè svadetur, ubi subest imperium. In Aula verò Tua qui svadent, omnium sunt prudentissimi; quibus imperatur, paratissimi. Sic Domus Tua fide & obsequiò parentium, sic jubentium authoritate munitissima; utq; Solem omnes amant, sic Te venerantur universi.

Turissimum itaq; Aula Tua Musarum est receptaculum, & ipsa quædam Artium Universitas, quò omnes suffugiunt, quotquot vel ingenii, vel manuum operatione laudem promerentur & præmium. Hi omnes Majestatis Tuæ radiis attracti, munificentia Tuæ rore haud secus, ac Tithonus Auroræ mammillis, liberaliter nutriuntur. Hic Cicerones facundissimi, divinam Majestatis Tuæ gloriam vivis coloribus depingunt, floridissimâ eloquentiâ exaggerant: Hic Livii veracissimi rerum gestarum magnitudinem, æternitatis monumentis inserunt, ornatisimè describunt. Hic Marones AUGUSTI sui memoriam generosis carminibus ad astra evehent, meritisimis laudibus prædicabunt. Alii cum Apelle pingunt, alii cum Euclide ædificant, alii cum Erichthonio Caballos erudiunt,

unt, & plures alii alia ad miraculum expediunt. Sic aliquot mille Artificum, Alexandri castra sequuta fuisse, memoriæ proditum est, qui æquè militiæ, ac domi, Artium munimentô circumseptus, decorum existimavit, inò verè Regium, tot Excellentium Virorum sustentatione, ad immortalitatis apicem sibi viam aperire. Nec desipiunt animosi Principes, qui amore & magnificentiâ faciunt, ut à Musis amentur; Non enim frustra Homerum, aureo scrinio inclusum, sub cervicali custodivit, felicem tantô laudatore Achillem deprædicans, domitor Asiæ laudatissimus. Quamobrem Regum Maximi, semper in deliciis habuerunt, quos laurus è vilitate exemit, quemadmodum Dionysius Platonem, Regiô curru vectum, donis & honore admodum decoravit.

Nec turpe fuit Ptolemæo Philopatri, Ægyptio Regi, Homero; Arcadio & Honorio Imperatoribus, Claudiano; aut Cæsari Antonio, statuas Justino Rustico consecrâsse. Tu, ô verissime AUGUSTE, favoris & benignitatis radios, in argentes hodiè Musas ita dividis, ut nec Majestati Regiæ decedat quidquam, nec aliô magis opitulatore gaudeant. Sed enim quid demittis Te ad egenas illas vetulas? ad prostibula illa, ad Deas vel mendicantium, vel mentientium Poëtarum anilibus, & futilibus fabulis solummodò celebratas? Ita quidem nauseantes ad virtutem Ceraistæ; At non odorantur Cyclopes illi, melioris famæ fragrantiam;

tiam, quàm dulce sit, in omnium ore versari, per plures ætates prolixè vivere, in Heroum Catalogo locum & nomen possidere, in temporum annalibus recenferi, atq; ita extrà solis & anni vias immortalem incedere. Hæc Tibi, REX Maxime, profundissimo cum obsequio reponent Musæ, hanc pro ingenti beneficiorum cumulo referent gratiam.

Quemadmodum igitur Aula Tua Virtutis quoddam Sacrarium, ita & ipsa Majestas Tua, amussitata perfectionis exemplar exhibet, atq; quanquam sis Sapientissimus, nihil tamen prohibet, quin & aliorum sententias admittas. Tutiora enim sunt Consilia, quæ à pluribus afferuntur, cùm necessitas à plurimis trutinata, stimulet magis, & oculi plus videant, quàm oculus. Quapropter Argum centum luminibus armatum, fixère obscuri priscae veritatis Profesores, ut Regem multorum Consiliis indigere ostenderent, & ipsi omnia cautè cateq; agenda esse docerent. Hinc Senatorum Consiliariorumq;, partim è Legum præscripto, partim è Regis arbitrio, illustri coronâ radias, nunquam securior, quàm benè monentium consilia sequuturus. Multa enim in Regnis obveniunt, nec sperata quidem, nec cogitata; quæ prudenter prævisa potuissent declinari, meliore tamen consiliò emendanda. Prudentiâ multos fortunæ ictus evitamus, quamvis fortuna sæpius fallat & eludat prudentiam; Nullum tamen efficacius vel tuendi se, vel injurias propellendi est remedium.

dium. Hæc Belli Pacisq; Moderatrix, præsentia cum præteritis componens, accuratâ rationis lance negotia ponderat, atq; hinc ipsas fortunæ cogitationes, arcanâ quadam divinatione assequitur. Jovem ipsum minores Deos in Consilium vocare credidit Antiquitas, & quid aliud Regni Comitia, quàm Poli Polonici Concilia? Ubi cum Jove suo tot Martes, tot Apollines, tot Mercurii; manu strenui, ore facundi, ingeniô potentes amicè congregiuntur, ac Sarmaticum firmamentum consiliô & industriâ stabiliunt. Ubi rogatus iste Populus liberè pro Libertate loquitur, liberius consultat, & liberrimè consentit. Ubi non tam subtiliter deliberatur, quàm fortiter quoq; & promptè ad auxilium accurritur. In hac svadentium erudita multitudine, tanquam in solis folio, singulos audis, universos intueris, atq; Majestatis radios vel contrahis, vel dilatas, prout nebulæ vel spissiores sunt, vel rariore. Ideò nec facilè eclipsin pateris, nec amabile lumen inter nubila recondis; sed semper idem, & tenebras dissipas, & svavisissimam diei lætitiâ revehis, ut dubium sit, magisne aliorum consiliis, an Tui ipsius Serenitate dies & quies in patriam reducatur. Nihil opus est, Delphos hinc consultatum mittere, cùm quot ora, tot Oracula habeas, tot Consos, quot Consiliarios. Armati tamen deliberant, ut prudenter deliberata, non minùs animosè exsequantur. O Gentem verè Nobilem, cui in armis Consilium est, & robur in consilio! Sic phare-

tratus

tratus Apollo pingitur, sic hastata Pallas, ut virtus eruditioni, utraq; Generi conjungenda ostendatur.

Posses in tanta negotiorum turba humeros nonnunquam reclinare, & remissiorem operam ad clavum navare. Sed uti cum Purpura tanti Regni molem suscepisti, ita sustinendo nec Atlas Te robustior esse posset, nec Æacus patientior tolerando. Sæpè premis iracundiam, cum offendis in vitia: Sæpè triticum velles, ubi lolium nascitur. Errorem tamen in consuetudine, indulgentiam in Legibus, in Populo licentiam, nisi Rhadamanthus olim emendaverit, quis Æsculapius sanet hodiè? Propterea ita severitatem cum humanitate, ita pœnas cum præmiis dispensas, ut Civis sanguinem majoris facias, quàm Diomedes hospitem. Multi profectò plus fellis in Majestate Tua desideraverunt, sed exspectare mansuetiorem non poterant. Leo sicca fame, quæ in Te nulla est, aut generosâ audaciâ, quam in hostes experiris, ad ferociam irritatus, fortiorum corpora dilaniat; nec Aquila visâ pullis gallinaceis involare, sed alitibus in prælium armatis: Leo tuus, Aquila tua in Harpyjas ungues acuit & extendit, præsentissimus tutor indigenis. Atq; utinam ad virtutis præcepta, vitæ normam dirigerent omnes, nullò rigore opus foret; sed è rectæ rationis orbitis delirantibus, injiciendi utiq; freni sunt, ne prorsus obbrutescant, & è Republica Augiæ stabulum faciant, nullò non labore postea, vix ab ipso Hercule repurgandum. Iniqui

certè sunt, qui cùm malè faciant, malè sibi fieri existimant. Si enim suum cuiq; tribuendum, metiatur quisq; operæ sibi pretium. Qualem voluerit Regem, talem vel bonitate, vel malitiâ suâ formabit.

Pro tanta hominum multitudine excubas, curas & dimicas, nec somnus mollior Tibi, quàm insomnia. Hinc licet omnes ad otium naturâ simus proclives, Tu tamen honestam Pacem armis expugnare mavis, quàm inglorius domi torpescere. Nihil putas ausibus difficile, quibus iter à virtute sternitur; At cùm omnia piô bello subegeris, cùm omnes ad obsequium revocaveris, cùm Sarmatia tua, quò unicè collineas, refluorit jam, & securitatem, aureum victoriæ præmium, totò corpore diviserit, an tum deniq; quietem aliquam Tibi polliceris? Raram admodum, aut omninò nullam. Tunc enim ingruet primùm universus negotiorum cumulus, insurgent immensæ curarum procellæ, & aucti labores laboribus, omne submovebunt procul otium. Tàm impetuosum hoc pelagus, tàm irrequietum, tumidumq; fluctibus; Tot aris & scopulis, tot vadis & Syrtibus impeditum, ut ad clavum hîc sedenti, multâ circumspèctione & patientiâ, multô sudore & temperamentô sit opus. Venient cum orphanis viduæ, quibus in crudeli bello Viri, & dulces occubère parentes: Venient bonis & penatibus pulsi, spoliati, exuti: Venient injuriis aliorum pressi, aut potentiâ oppressi: Venient quibus vel fines vitiiati, vel vexati:

ti: Accusabunt Laici Clericorum avaritiam, & hi illorum insolentiam: Accusabunt minores Majorum asperitatem, Majores minorum turpitudinem: Alii quæ querelarum genere ad Majestatis Tuæ pedes prostrati, auxilium inclamabunt & justitiam. Nec Tu, REX Optime, placebis omnibus, ut nec ipse Jupiter omnibus ex æquo placet. Quàm propè Sisyphius labor hic est, omnes exaudire, omnium desideria componere, omnibus satisfacere! Heu! Quanta sollicitudinum granditas humeris incumbit Tuis, REX Augustissime? Quàm non fatigatissimus es laborandi? Sed iterum Soli similis, ut ille cursu semper recentior resurgit, ita Majestas Tua occupationibus vivacior. Nempè Dii non gravantur laboribus, & divinum est, omnium saluti prospicere, & indefessò studiò mortalibus moderari.

Si tamen resumendi spiritûs intervallum aliquod suppetit, modicis illud, concessis quæ voluptatibus impenditur, quæ plerisque Principum solennes sunt, & multis quotidianæ. Et ne tunc quidem otiosus es, sed indictò bellis bellò, è lustris & latibulis feras provocas, nobiles venabulò exceptas, robustiore manu transfigis; ignobiles venatorum gregibus occupandas committis. Sonant cornua, clamore contremiscunt nemora, caballi ad prælium ferociunt, spirant naribus ignes, & canum latratibus compelluntur in retia & casses, quotquod fugam intenderunt feræ. Hic ramo-

sa cervorum cornua malè te expediunt; Ibi obmurmurant clavarum ictibus urfi; Illic voraces lupi ad funus ululant; timidi vagiunt, fugiuntq; hinc & illinc lepores, & damnosam sibi vulpes lachrymantur astutiam. Lætum post Pæana dividuntur spolia; Pars tergora diripiunt, pars auritos Midæ fraterculos exunt; Operantur alii cervis & alcibus, alii apris urfisq; exarmandis, donec quercu redimiti victores redeant, & in venatorio convivio, magna cum hilaritate partis perfruantur. Quàm animosa hæc corporis exercitatio! Quàm indemnis militia! Quàm Regium verè oblectamentum!

Ut autem totus igneus es, soles etiam, REX Invidiosissime, Vulcano negotium faceffere; ubi imprægnatis nitrato pulvere tormentis & bombardis, condictam metam certius contingere nemo, nemo fortius arcum torquere, nemo promptius pyrobolos jaculari dicitur. Sic ad instar Salamandræ, lethale hoc aliis elementum, animo tuo præbet alimentum. In Hastiludiis suspensum ad præmia annulum toties transigis cuspide, quoties Cyllarum tuum vel minimò monitu adigis. In Equiriis hastam in adversarium eruditissimè versas, inter luctatores fortissimus, inter sagittarios certissimus; agilitate corporis mirabili, firmitate membrorum incomparabili, non æquas modò Heroas alios, sed & transgredieris universos. In tali virtutis palæstra Tui exemplò, multos ad imitationem accendis, mul-

tos è torpore ad alacritatem excitas. Quis enim Regium favorem omni studio non aucupetur? Quem non pudeat, nescire boni Militis officium?

Est insuper aliud belligerandi compendium, verum amoris mutui aucupium, ubi crystallis & aurò festivè decernitur, Bacchiq; illecebrosò certamine solenniter triumphatur. Nulla hîc civilis sanguinis profusio, nulla animorum contentio; sed consensio partium amica, & firmissima omnium compositio. Depluit generosos uvarum imbres Jupiter, & minores dii benignò rore inundati, aureum Eridis pomum ad Paridis iudicium procul relegant, ipsi cum Jove suo in concordiam mirè condescendentes. Amoris hæc consecrario, ut Saxonibus quodammodò propria, ita Polonis grata admodum & probata, hoc saltèm virtutis habet, quòd animos erigat, & fidem quàm plurimum conciliet. Lydius est lapis, ad quem aliorum fidem exigas: Siderites est, quò multorum favorem ad Te adducas, & telescopium, quò in intima pectorum penetralia perspicias. Nec hamus est piscandis cordibus felicior, nec pharmacum leniendis curis sapidius. Multis quidem è rigida Stoicorum familia taxatur jucunda illa cum Scyphis concertatio; sed si abstemii sunt illi, nec omne ad illorum palatum facit, quid regularum Regibus præscribant homunciones illi, in toto Virtutum Ordine quàm maximè irregulares? Proficiat & conducat Majestati Tuæ, quantumcunq;

F

è

è Bromii laticibus haurias, cùm & solvendo sis, & sine sanitatis detrimento tolerare possis.

A dulci hoc certamine itur in aliud, sed serium & severum, quale nec Boreas velit, & solus Oriens extimescat; Ubi non vitrô, sed nitrô; non testis, sed hostis; non talis, sed telis, Saxonibus tuis dimicandum; Cum trucibus Thracibus, cum scelestis illis Jazygibus, cum hirsutis hippophagis, & monstris potius, quàm hominibus, quorum & nomen execrabile, & detestabile vivendi genus, ingenuis militibus nauseam moveat. Furax hic nebulonum exercitus, justæ militiæ nomine nunquam recensendus, uti plagiô notabilis, ita ad internecionem interficiendus.

Liceat mihi conterraneum militem, intrepidus Tuos Saxones, in hunc modum compellare: Mirati procul dubio fuistis, Milites Optimi, ingentem Sarmatiæ fertilitatem, sed mirabimini multò magis amplitudinem, cùm per vastissimos illos Podoliæ campos, hominum cultu, fontiumq; solatiô destitutos, tanquam è viventium numero proscripti, armati tamen, & hostium sitientes progrediemini. Cultissima olim & populosissima hæc regio, ab infestissimo Tartarorum insecto quotidie vexata, quid aliud hodie, quàm calamitosa eremus, incolis vel in miseram, æternamq; servitutem abactis, vel in securiora ultrò regressis. Tantæ cladis vindicta vobis committitur. In vobis est illatæ injuriæ compensatio, quam vel severitate, vel misericordiâ

cordiâ exsequemini. Ipsi vos statuetis, an commiseratione digni sint, qui nihil crudelitatis in cives nostros omiserunt. Deliberabitis ergo in solitudine hac, in tædioso hoc itinere, in tanta rerum & hominum penuria, & exacuetis non tam gladios, quàm animos, ne impune vos irritaverint, ad quorum excidium pium utiq; bellum suscepistis. Regem ipsum habetis & Ducem & militem, quem sequi difficile, sed imitari gloriosum. Nolite imbelles foeminas metuere, qui ut plurimarum mulierum viri, ita verè sunt effoeminati. An vos turpes illorum formæ terreant, quos toties ut fucos, aculeis vestris dispersistis? An timeatis fuci illos sangvisugas? Imò sanguine illorum tot urbium funeribus, tot civium necibus, tot templorum cadaveribus parentandum. Si enim delictum non remittitur, nisi furtum restituitur, quid latrones isti promeruerint, ipsi judicabitis.

Exaudio jam Saxones tuos, unâ voce respondentes: Ducas modò, quò velis; quò Te, REX Invictissime, tua virtus, tua gloria ducat, se quidem impigrè sequuturos. Sermonem ingens clamor, testis alacritatis sequitur, atq; ille à Polonis exceptus majori clamore redditur, multis insuper votis & apprecationibus, præ militari lætitia, in salutem & propagationem Regiæ Majestatis & Gloriæ, toties totiesq; ingeminatis. Et ituri fuissent per tesqua, per hirta, per omnes solitudinum, sollicitudinumq; anfractus; per tela, per ignes, nisi tam

fera & severa autumnum tempestas, quàm extrema com-
 meatuum penuria, vel impatientiorem fecisset mili-
 tem, vel Te confirmandæ militiæ observantiorem.
 Barbara enim est eorum crudelitas, qui peditem nuci-
 bus coëmunt, & appludis saginari credunt; aut equi-
 tem in strigoso equo, & nec veste, nec armis contra ho-
 stium, & aëris intemperiem satis præmunitum, augen-
 di tantum numeri gratiâ, in desolatos illos campos, ad-
 versus inimicam ferociam educunt. An pro nubicus
 pugnaturus? An fortiter rem acturos existimes, quibus
 nec equus certis stat talis, nec totis annis stipendium
 exsolvitur? Egregiè fovendus & tegendus miles est, ut
 si amari se sentiat, & regi desideret ipse, & ultrò ad om-
 ne imperium provolet. Aurò scribuntur milites, &
 ferrò conscribitur victoria. Quies tamen corporibus
 ac animis concedenda, ut si vel aurum somnient, ad
 victoriam toti fiant ferrei. Tu sanè totus miles, totus
 aheneus, REX Invictissime, pluris facis eximium mili-
 tem, quàm cristatum Thraſonem. Nec Tibi tantus
 Exercitus nihilò constitit, nec turpis est sordidorum
 colluvies. Germani sunt omnes, ac verè Germani, ad
 immortalitatem Tibi comparandam, mortis tantum
 timidi, quantum curant.

Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

Odorantur hi sclopetarium funem libentius thure
 masculò; nitratum pulverem pulvere Cypriò; humi
 cubant mollius, quàm in molli ansere; oculis irretor-

tis jaculantur rectius; avidiores sanguinis, quam prædæ, imperata faciunt promptius, & fidelius exerciti, formam veri exercitus representantes, sæpè Ducis obire vices, gregarii semper; signa sequi, ad terga ire, in frontem redire, ordines dilatate, virum viro jungere, alacriter circumire, stare fortiter, dimicare acriter, & omnia boni militis munia subire, non secus ac pueri literarum elementa noverunt. Nimirum & Marti sum est Gymnasium, ubi studiò & virtute præcellentiores variis exornantur officiis atq; titulis, per totius vitæ curriculum æquè, ac Academici honores duraturis. Et quanquam licentiosi, Licentiati inquam, sint omnes, libertatem tamen tuentur obsequiò, pietatem disciplinâ. Magnificentissimus Rector est supremus Belli Imperator, Decani sunt Campi Mareschalli, tot Facultatum, quot Exercituum; Professores Generales cæteri; Doctores Ductores, Magistri & Baccalaurei Præfecti equitum, Centuriones, eorumq; Vicarii. Hic plus de Jure, quam Justitia disputatur, Canones assiduè tractantur, & omnis rei difficultas ferri acumine deciditur. Quid de lauro & auro, insignibus militiæ præmiis, dignè satis proferam? Quotus enim quisq; è generoso militum numero; non è spectabili Civium conditione, sed ex infima natalium scobe, ad Supremas Militiæ dignitates evectus, rusticani generis contemptum, cum illustri nomine commutavit? Quot pauperrimi & rerum omnium egentissimi, immensam opum vim, ut

prisca siccò pede transeam, in novissima Budæ expugnatione congesterunt? Avarum animal miles est, & spoliorum prædæq; fame, ad prælium non minus accenditur, ac aridâ siti viator ad fontium desideria. Quò prolabor autem? Quæ inde consequentia? Ea certè, quâ confirmetur, militem tuum, REX Potentissime, belli studiis excultissimum esse, gloriæq; cupidissimum.

O, si concors Tecum conspiret Polonia, ad priscam illam sanitatem, & potentiae amplitudinem brevi foret reditura! Sed arduum est negotium, & maxima cum difficultate conjunctum, tantam animorum multitudinem concordiae viscò conglutinare, & in eandem sententiam, quanquam saluberrimam deducere.

Si Te, AUGUSTE Augustissime, in primo Throni limine, durior nonnullorum exercuit refragatio, illorum crede constantiorem amicitiam; Nihil enim à Majestate Tua, quàm amorem passi, neglectum antea cultum, nullò - non obsequii & venerationis genere redintegrabunt. Qui Te Regem voluêre, qui elegêre, qui maximis cum applausibus nominavêre, næ! Fide sunt invictâ omnes, amorem nonnisi cum ipsa vita deposituri. Cæterum reperiri, qui nec ament, nec oderint, in tanta Populi multitudine mirum non est, dummodò sub Libertatis vexillo quieti sedeant, nec novi quid moliantur, pari jure & gratia ferendi, fovendi atq; protegendi; Nam & hi prælibatâ Regiæ clemen-

tix dulcedine, ad Majestatis Tuæ pedes provoluti, & amicorum olim numerum augebunt, & militum. Ad tantam felicitatem illustria aliorum exempla invitabunt, & Comitatis Tuæ publica documenta, quæ quidem tantæ Serenitatis sunt, ut solem in aprico cœlo non videant, quicumq; amantissimis gratiæ tuæ radiis refocillari se non sentiant.

Præterea ut incerti, variiq; sunt temporum eventus, ita adversitates non unô consiliô antevertendæ. Nonnunquam enim fatô affligimur, nonnunquam bonus Palinurus dormitat; sæpè in alienis sumus lynces, in propriis malis talpæ; sæpè peregrinæ Tragoediæ otiosi spectatores, & in nos convertitur catastrophe. Interdum timemus, ubi timoris & periculi nihil est, interdum dormiunt vigiles, & clamosi vigilanti anseres. Et quis omnia temporum & variantis fortunæ ludibria prolixè satis enumeret? Ipse Quintilianus casuum varietatem satis accuratè declinare non potest. Multa etiam mysticâ quadam naturæ necessitate obveniunt, & quàm frequens calamitas ab ultrice DEI manu immittitur? Prometheus non impune cœlis ignem submovit, & nos sine metu in arcana DEI penetrabimus? Nemo satis prudens, qui nihil ignorat, & multorum ignorantia est summa hominum sapientia. Non tamen despondendus est animus, sed uti nautæ inter ventorum prælia, & asurgentes fluctuum montes, conceptam rimulis aquam exantliant, laxatas laterum
 compa-

compages stupâ & resinâ relarciunt, ventum vel dimidium, vel secundum, velis hinc illinc versatis occupantes, gubernaculô ad quasvis injurias aut constanter detentô, aut prudenter commotô, donec sopitô procellarum tumultu, naufragium feliciter enavigent; Ita etiam navis Reipublicæ variis belli aut fortunæ motibus concussa, circumspèctione & vigilantia, fide & labore plurimô moderanda, felicior fortunæ Favonius velis omnibus aucupandus, redintegrandæ ubivis locorum patentes ad graviora incommoda rimulæ, obstruenda armis & copiis laterum laxamenta, nec remittendus illicò clavus, sed sæpè cum nonnullorum jactura, redimenda salus omnium.

Nunquam fortuna simpliciter indulget, quamobrem ad nullos ejusdem ictus expallescendum, sed cor in anchorali fune retinendum, donec prosperiore ventorum motu provecti, acceptum damnum triplô fœnore emendemus. Habet autem Polonia Regem, qui gubernet; habet Legem, quæ confirmet; habet Gregem, qui defendat. Tribus his munimentis sepra Polonia, nescio an non invicta sit. Triplex hic nodus olim fuit Gordius, & manebit indissolubilis, modò firmiore nexu constrictus, & consiliis tectis, & auxiliis paratis custodiatur.

Tu, AUGUSTE Secunde, ruinoso huic firmamento fulciendo Atlas fortissimus, ab ipso cœli Domino destinatus, tantam audaciter subis molem, non aliâs

aliâs Herculi simillior, quàm indefessô labore, & Heroicâ planè patientiâ tolerando, quæ mutari nequeunt. Mutabis tamen pleraq; si non omnia, & necessitatis telô adversitatum configes copias, auxilium ab ipso Universitatis hujus Monarcha mutuaturus, neq; quidquam minus oberit, quàm invidia. Sed nec invidiæ livorem metuis, quam diu supergressus, coegisti pedum tuorum pulverem lingere, atq; malevolentia aculeos in fatuum vulgus defigere. AUGUSTUS enim es, at nunquam angustior, quàm in angustiiis, quas constantiâ Tuâ demolieris, & fortitudine superabis. Spinosa est Corona, quam ad Salvatoris instar formosô gestas Capite, sed fragrantissimâ Rosarum amœnitate fertilis, quamprimùm hyemis inclementia transierit, & post solutam difficultatum glaciem, jucundissimâ veris imagine solum tuum reffloruerit, Regnum deliciis, orbem universum odore imprægnabit. Quamvis igitur & re, & nomine sis Maximus, Major tamen eris restitutâ rerum rectitudine, quæ quò præstantior est, eò fructuosior. Hanc optant, exspectant, desiderant, quotquot veritatem diligunt & justitiam. Nisi hæc regeratur in Imperium, frustra speratur spicilegium. In tanta temporis vertigine, & tortuosissimo rerum Labyrintho, quantæ curæ cor perfodiant Tuum, REX Occupatissime, dici non potest, nisi quòd regi potius, quàm legi cupias. Sed æquus animus in re mala, optimum est ærumnæ condimentum. Hinc cum

omne tempus in laboribus traducas, modicum est, ad remissionem animi nonnulla momenta transmittere.

Serenissima verò Conjux Tua, REX amantissime, cum in Regios amplexus rediverit, tunc primùm omnis amaritudinum cumulus spontè diffluet suâ. Hæc enim uti virtutum omnium Regina, ita Reginarum virtuosissima, non admirabili tantùm formæ præstantiâ, soporatos tot curis ignes resuscitabit, sed osculò quoq; potentissimò redintegrabit, quidquid lætitiæ rugosa rerum facies, S. Majestati Tuæ hæctenus subduxisse potuit. Hæc laboribus fessum mollissimis fovebit complexibus, non aliâs magis cordata, quàm cordi Tuo vicinior. Hæc amore suò suavissima ingeret solatia, tutissima parabit medicamina, & si nemo satis fidus fuerit, sola in omni sortis versura erit fidelissima. Hæc Pietatis vel soror, vel filia, Poloniæ Coronam hòc inæstimabilius exornabit, quò ipsa omnium mortalium est pretiosissima. Et quis neget à Diis genitam, quæ Deorum Maximos Sangvinis Affinitate contingit? Nam CHRISTIANUM ERNESTUM quis ignorat inter Heroes fortissimum, inter Principes doctissimum? Proinde temerarium est, Jovis Alitem formosis laudibus commendare, quam cum fulgure tonitru maximè facit conspicuam. Sic è Baruthano cœlo prognata Pallas hæc, non potuit non esse pulcherrima, quæ numeris omnibus est absolutissima; Sarmatiæ quidem Regnò tantò dignior, quantò Regnum ipsum Omnipotentia
Thro-

Throno vicinior. Aquila hæc S. Majestati Tuæ Aquilæ Pullum peperit, omnibus rosis formosior, omnibus thesauris præstantiorem, nec omnibus terræ divitiis Vobis vendibilem; Quem in tantæ fortunæ spem genitum, tenerrimò favore fovet & complectitur, pervigili studiò format & educit, maturè solem intueri docet, & jubet esse pium; Qui Veneres inter & Gratias jam lusitat, brevi cum ipsis Musis lusurus; cumq; omnes Musarum delicias exhausserit, cristatam Martis galeam indutus, per virtutum topiaria impigrò labore, ad Honoris Ædem contendet, unde multa cum lauru redux, eam propagabit lucem, quam S. Regia Majestas Tua tanta cum gloria intulit, tanta cum Serenitate extendit.

Dicuntur jamdum rationis & virtutum igniculi, variis vestigiis se prodere, & in ipso loquendi conamine tacitum sentiri imperium; Nec enim Principes sunt infantes, qui etiam vagitu præcipiunt obsequium. Cæterum adeò venustus, adeò lepidus, ut si Venus videret, Amorem hunc suum; si Amor, Veneris filiolum diceret: Tàm labellis blandulus, tàm ocellis gratiosus, ut Dictæas apes mella, rosas pudorem, & Charites omnem gratiarum copiam addidisse credideris: Tàm purissimis omninò membris, ut Acidaliò, vel rore Cypridis lotum affirmaveris: Tàm ad Serenissimum Majestatis Tuæ vultum, lineis omnibus adductus, ut Te ipsum in infantia Principatu autumaveris.

Et inclarescit crescitq; Regium istud Liliū magis magisq; indies, ut eleganti proceritate, ita odoratissimō candore, univēsum Regiæ Juventutis florilegium modis omnibus condecoraturum. At cū Ascanium hunc Tuum, auxiliante Deō, ad S. Regiæ Majestatis Tuæ Solium, à Regina Matre deductum, decēte corpusculi inclinatione, Regias manus exosculari senties; cū faciem videbis, qualis vel Tua, vel Angelorum est; cū oculos contemplaberis, arcanis ignibus in lumina tua prurientes, quid tum futurum existimas? Colliquescent Paterni amoris viscera, & præ gaudio ebullientes per oculorum canales lachrymæ, si flere Reges possunt, ori admotum probè perpluent. At ille Majestate parum territus, Regium vultum perlegendo, Divini Patris notitiam paulatim ediscet, puerili audaciâ in ipsa Regis labia multis suavis lusurus. Est nimirum à naturæ digito mortalium mentibus inscriptum, illud suorum desiderium: Est in suorum recuperatione, singularis quædam lætitiæ regeneratio, & major amoris occultandi difficultas, quàm odii. Sæpè voles vidisse, & vitum revocabis, Regaliq; basiō coronatum ad Reginam Matrem dimittes: Sæpè instar coturniculæ hinc illinc cursitantem, gratiosō visu & risu comitaberis: Sæpè in phalerato, & ingeniosâ artificum manu, ad vivum composito eqvulō, tanquam in Bucephalo Alexandrum, eleganter vehi, vectorem calcaribus fodere, virgulâ hortari, poppysmate mulcere,

verbi

verbis admonere, boni equitis prælusorem, non sine oblectamento admiraberis. Confirmatis deinde viribus in Arris & Martis palæstra militantem, cum Polonis Polonicè, cum Latinis Latinè, Gallicè, Italicè loquentem; cum Magnatibus de Regnorum administratione, cum Heroibus de boni militis officiis diserentem auditorus, quantam spem è cultissimo hoc Flore hauries? Cùm verò deniq; in ipsum Gloriæ Campum S. Regiam Majestatem Tuam sequutus, prima Regiæ indolis & virtutis documenta dederit, nescio quò ingenti solatiò perfusus ultrò fateberis: Sarmatiam hanc Tuam unà cum Saxonia, tanto Præliatori vix sufficere. Et perseverat Serenissima Regina, Thesaurum istum observantius custodire, ad cujus pretium totius Europæ indemnitatem æstimari didicit.

DEus modò T. O. M. Regium hunc Flosculum, gratiæ suæ rore largiter imbuat, contrà ingruentem procellarum ferociam firmet & conserve, viribus tam corporis, quàm animæ clementer augeat, & ad eum felicitatis apicem manu suâ perducatur, ut Amarantho formosior, Leone animosior, Cedro sublimior, Aquilam ætate superet, & viriditate Rutam: Ut in Regiis virtutibus indies proficiat, Magnorumq; Parentum vestigiis inhærens, acceptam olim à Divino Patre vitæ lampada, novò splendore instruat, & sideribus illustriorem ad posterorum posteros feliciter transmittat, nec unquam deficiat in Regio Stemmata, qui Surculo succedat Surculus,

culus, usq; ad ipsam totius hujus Universi clausulam. Sed Serenissimam quoq; Reginam, Supremi Numinis clementia sospitet & conservet, Pietatem Ejus amet & compenset, curas & angustiam sublevet & propellar; omnibus animæ desideriis annuat, omnibus consiliis faveat, omnibus actionibus benedicat, atq; tam dulce Caput omnigenâ prosperitate coronet, ut cum Rege Regioq; Corculo valeat diutissimè, vivat suavissimè, regnet felicissimè!

Ut autem revertar, unde diverteram, habes REX Sacratissime, Pallium, quô protegas; Sceptrum, quô regas; Ensem, quô punias. Habes Aquilam, quâ Te attollas; Equitem, quô prælieris; Coronam, quâ mirè radies. Habes Senatores illustrissimos, Consiliarios gravissimos, Aulicos splendidissimos. In tanta tantorum possessione non opes moliris, sed vires. Sat enim opum, ubi sat virium; Tu verò Sarmatiam, Danaën tuam, aurô imprægnâsti, quæ Perseum Tibi gigneret, Bistoniam Gorgonem vitâ & capite olim privaturum. Tu cum Augusto confectis feliciter bellis, Jani Templum iterum occludes, & mitissima Pacis tempora Polonis Tuis restitues. Tu, quam cum AUGUSTO reperisti ligneam, Romam (Sarmatiam) Tuam formabis saxeam, imò argenteam. Adsunt enim rerum gerendarum Arbitri atq; Svasores conscientiosissimi, quorum primarius quidem, Eminentissimus è Purpuratorum Patrum Collegio Antistes, Archiepiscopus

pus Gnesnensis, Poloniæ & M. Ducatûs Lithvaniæ Primas, Primusq; Princeps Radziejovius, Vir omnibus titulis Magnus, & Consiliorum certitudine excellentissimus. Reverendissimi itidem & Illustrissimi Præsules Dambscius, Swiencicius, Zaluscus, Supremus Regni Cancellarius Döhhnovius, & Poplavius, qui omnes ut ex antiqua lege ἀγαμοὶ καὶ ἀπαίδες seu cœlibes & improles, ita monita illorum tantò salubriora sunt, quantò ipsi sanctitate Ordinis, commodi proprii sunt negligentiores. Adsunt Heroës fortissimi, Castellanus Cracoviensis & Supremus Exercituum Regni Dux, Stanislaus Joannes Jablonovius, Felicianus Potocius, Magnus ille Malachovius, ad Pacem cum Turcis felicissimè expeditâ Legatione maximè deprædicandus, Prebendovius &c: Adsunt Sapientiæ, Magnorum Meritorum Viri, Lubomirscii item Radziviliiq; Principes, Szczuka Referendarius, & alii Maximi Nominis atq; Ponderis Proceres, quorum fides eò religiosior est, quò ipsi Genere, Famâ & Victoriis illustriores. Nec omittendus mihi Reverendissimus ac Celsissimus Jaurini Episcopus & Saxonie Dux, profundissimò ingeniò Princeps, & ad Consiliorum promptitudinem undecunq; instructissimus. Hic, veluti purissima de divino Tuo Sangvine Portio, non poterit non ad Majestatis & Reipublicæ sanitatem cooperari, cum & præstantissimus Rutæ Surculus sit, & tantùm ad vitæ sanctitatem, atq; Publicam Utilitatem à tantis Maximis progenitus.

Quid

Quid deinde de Illustrissimis Excellentissimisq;
 Viris, à Beuchlingen & Bosen, Viris Consiliò & Fide
 commendatissimis, Viris Ingeniò & Prudentiâ con-
 summatissimis memorem? Augustales deniq; Tui,
 AUGUSTE Maxime, in gloriæ paludamento, patra-
 tis jam olim tot victoriis, tam indubiæ sunt constantiæ,
 ut Marpesiam caudem à Vulturno citius moveri, quàm
 vel minis, vel promissis ab impenso Majestatis Tuæ
 amore diverti posse certum sit. At quis singulorum
 laudes atq; titulos dignè satis enunciet? Inter tantos
 Martis Proceres summo loco ponendus Celsissimus
 Dux Würtembergicus, Heroum hòc tempore facilè
 Princeps; Comes deinde Trautmansdorffius inlytis-
 simus; tum Birkholtzius generosissimus; inde Born-
 stedius acerrimus; postea Röbelius fortissimus; dehinc
 Flemmingus animosissimus; tandem Jordanus, Comes
 Lowenhaupt, Beistius, Benkendorffius, Bannerius, Ca-
 rolowicius, Alardus &c: Duces Exercituum longè feli-
 cissimi, & prolixus aliorum numerus, quorum omnium
 Nomina, in Heroum Catalogo adamante notata, nulla
 temporum aut verustatis spongia delebit, nulla mor-
 talitas obliterabit. Sanctissima hæc sunt Nomina, sed
 extraneo mihi nonnisi vel lectione, vel commemora-
 tione quadantenus cognita. Quamobrem si nonnul-
 lorum vel prætermissa, vel minus decenter posita, ut
 incitiae accusari merear; non tam historiæ, quàm lin-
 gviæ Sarmaticæ difficultas excusabit me, & clementis-
 simi

fimi Præsules vel ideò criminis absolvent, quòd cætera
 sim inclytæ Polonæ Nationis, Virtutumq; omnium &
 admirator, & laudator deditissimus.

Interea dum hæc meditor, dum hæc scribo, dum
 Colophonem jam induco, improvifum advolat nun-
 cium, Pacem ab Augustissimo Romanorum Impera-
 tore, Serenissimisq; Sociis, cum Turca conclusam esse.
 Quocircà maxima DEO T. O. M. habenda est gratia,
 quòd Ejus quidem bonitate Orbis Christianus, cum
 decrepiti hujus seculi senectute in quietem redierit,
 atq; depositò armorum strepitu, omne simul sepelive-
 rit odium, omne sangvinarium. Satis hæctenus sang-
 vinis, satis lachrymarum profusum. Rideat vel deniq;
 semel afflicta tam diu, totq; malis Christianorum uni-
 versitas. Rideat post lachrymas, gaudeat post mæro-
 rem, revireat post desolationes, respiret post pericula!
 Et quis non collætetur in communi omnium lætitia?
 Quis post spississima nubila non resolvatur in júbila?
 Quis ob revectam fœderis arcam cum psaltrio Rege
 non tripudiet? Non Scaldis & Sambria exhorrescent
 amplius ad hominum ferociam; Non Mosa & Nicaris
 ad immania stupefcent tonitrua; Non Rhenus & Ister,
 bibitò sanguine verecundi, heroum provolvent cada-
 vera, sed tot internecionibus expiati, commissas à pu-
 ris fontibus aquas, incontaminatis erroribus ad Ocea-
 num deferent. Jam profugæ hæctenus ciconiæ ad ni-
 dos redibunt, eorumq; ruinas in florifero Pacis vere

sedulò refarcient; Jam cœlò redibit Justitia, & cum Justitia Pietas, & cum Pietate Prosperitas; Jam Mars confossus, exanimatus, tumulatus, vomere scinditur, lignonibus secatur, seculis raditur. Jam renascentur vineæ, reflorescent arboreta, revirescent camporum æquora, resurgent pagi, revivifcent oppida.

Serò verò Palatinatus, Paradisus ille Germaniæ, incusfa excurabit vulnera; Serò Myrtilletum in pristinam revertetur magnificentiam; Serò Spira respirabit, nobilissimum illud Nemetum, sed nobilius Themidos domicilium; Rarò vel nunquam antiqua illa Vangionum metropolis; Nunquam amisum semel Argentoratum à Lilliorum graveolentia adorabit Aquilam; Nunquam Vesontio cum splendidissimo Burgundionum Comitatu redibit ad Imperium. At quid multis? Ipsi Europæ Domini, bellorum vel fessi vel tædiosi, reclinant in quietem capita. Sic Austria, quanquam potentissimum utriusq; Pannoniæ Regnum Marte acquisiverit, suis tamen victoriis exhausta, amantissimam Pacis faciem exosculatur; Sic acerrimi Germaniæ Principes, priscâ libertate contenti, reconditis ensibus in beatam revertuntur securitatem; Sic Iberi Mortis & Sortis timidi, malunt domi lactucâ cum pingvi olivo vesci, quàm pipere Martiò marcescere. Magna verò Britannia, ut ut galeam & galerum seposuerit, non tamen vincendi animum Guilielmus Rex exuit, toties mortem intentaturus, quoties hosti-

lis

lis audacia provocaverit. Batavos autem à Bellonæ aris, ad Irenes delubrum tam facilè declinâsse, nemo mirabitur, qui ex eorum ænigmate didicerit: Res parvas Concordiâ crescere. Soli Galli calcaribus adhuc armati, tanquam pluribus non impares, in ipsa malacia omnibus adhuc metum, atq; trepidationem incutiunt, quod divinæ tamen directioni est committendum.

Turcarum negotia calamô non attingerem, nisi magnam partem fabulæ facerent, & eorum stultitiâ bellum tam factum, quàm fractum. Turpius enim à viginti annis amiserunt, quod insolentiùs intrâ ducentos acquisiverunt; Auream videlicet Hungariæ Coronam, invictam olim Tanaim, totamq; Peloponnesum, cum magno Insularum appendice. At quis dubitet, ipsam Constantinopolin jamdudum expugnandam fuisse, nisi Aquilam terribile deterruisset Gallicinium? Plurimum contribuisti, REX fortissime, ad Lunæ hujus defalcationem, & Exercitus Tuus vel ultimum, Te etiam absente docuit, Saxorum & Saxonum duritiam mollibus Muselmannis nunquam esse illetabilem. Sultanus itaq; ut ictus Scorpius chelas, cornua sua contrahit, quæq; putaverat ferrea, ex ictuum vanitate sensit ficulnea. Jamq; Germaniæ muscas timet crabro Asiaticus, qui Europam olim universam aculeo erat compuncturus. O bellum bellatorem! O imbellem verè belluam!

Te verò, REX Invictissime, quanquam renascen-

tis Pacis fama plurimum consolatur, cum Polonia Tua, tantâ belli mole fatigata, eam omnibus votis efflagitet, & collapsa Regni salus, non alium thesaurum magis desideret, multa tamen benè merendi materia Majestati Tuæ præciditur. Verùm tutis & pacatis jam omnibus, quid in Europa solus prælieris? Sufficiat Martium illum Caminum, Camienicum Sarmatiæ Tuæ, cum magna terrarum portione redditum, Teq; sine prælio Victorem, sine sanguine Triumphatorem, sine ullo pulveris jactu AUGUSTUM evasisse.

Pulcherrimæ tamen Legiones Tuæ si exauctorari debeant, nec prolixo potius numero amplientur, quid in proximo necessitatis casu futurum sit, Oedipus enunciet. Vides enim omnes circum circa Vicinos potentissimis copiis instructos, & novisti, REX Optime, quàm lubrica sit hominum fides, quàm inopinæ rerum & fortunæ circulationes. Armatum viatorem non facile adoriuntur grassatores, nec clavatus Hercules tricorpore Geryona metuit. Nudus autem multorum injuriis exponitur, & sæpè securum otium sera poenitentia sequuta est. Immortali documento Belgæ servient, quorum minus armata Respublica, à Magno illo Ludovico, unius ferè lunæ decursu fuisset everfa; Et quàm severas nimæ securitatis poenas dedit Germania? Si in Pace de bello cogitavisset, immune à Tartarorum jugo foret, opulentissimum Chinarum Imperium. Atq; ut veritatem fatear, quid Regnum sine viri-

viribus? Numquid idem, quod navis sine remis? Veritosum hoc Ægeum est, & quò breviores undæ, hòc ad clivos & naufragia procliviores. Omnes igitur fluctus everberaturo, robustis manibus opus est: Quisquis has remiserit, in Amelio ad Elyfios opinione citius navigabit. Nihil horum accidet Regno Tuo, felicissime REX, qui disciplinâ militarem avaritiam cohibes, & clementiâ civium obedientiam impetras. Ita sub felicissimo Majestatis Tuæ Regimine revirescat, reflorescat Sarmatia; ita

Mella fluant illi, ferat & rubus asper amomum!

Sed Te, Augustissime AUGUSTE, tam gratiosum mihi velim, quàm Cæsar AUGUSTUS Vergilio fuit, quàm Elector AUGUSTUS Taubmanno. Ad quos Poëtarum principes, licet atomus sim cum sole comparandus, nec eruditione ullâ accedam, efficies tamen potentissimæ Serenitatis Tuæ gratiâ, ut & aliquam famæ umbram assequar, & in tenebras meas nonnihil lucis derivem; è Misnicorum multitudine fortè nec primus, nec ultimus, qui Augustissimum AUGUSTI Saxonis Nomen immortalium fastis inserant, summasq; Tuæ Majestatis laudes excellentissimè deprædicent, quorum equidem crenæ & venæ spatiosissimum campum aperies, & materiam suppeditabis copiosissimam. Ferunt AUGUSTUM Maronis & Flacci carminibus adeò delectatum fuisse, ut sæpius inter lachrymas sederit & suspiria Cæsar. Quis

enim neget Scriptorum calamum, esse bonæ famæ pabulum? Laudum verò Tuarum messis ut abundantissima, ita laboriosissima, nec ab unius ore & opere satis exhaurienda. Fertilissimus enim Rosæ campus est, ubi tanta soli luxuries, tam felicissimus graminum proventus dicitur, ut quantum vel multi viri demetunt,

Vel quantum longis carpunt armenta diebus,

Exiguâ tantum gelidus ros nocte reponit.

Audendum tamen, & jucundâ variorum varietate, multarumq; manuum operâ, historiæ Tuæ tela omni studiô pertexenda, ut viventium adhuc memoriam vellicet, & Posteritati æternam admirationis gloriæq; pulchritudinem commendet. Interim Superi Te diu superstitem velint, ut quam animô concepisti rerum magnitudinem, annorum longævitate assequaris. Optarem S. Majestati Tuæ triseclis Nestoris ætatem, & cervi secula, si mortalitatis leges admitterent; sed utinam vel centenarium Te DEUS faciat, & nec Zeuxis omnibus lineis, nec Timantes totô pollice, adumbrandis Tuis meritis sufficiet.

Benedicat consiliis tuis ex alto, qui in excelsis habitat, qui Regum corda in manibus habet, & pro beneplacito suo dirigit. Firmet Thronum potentiæ tuæ Omnipotens, & septem cardinalium virtutum radiantissimis sideri-

sideribus coronet. Amet pietatem tuam,
 qui pius, & fidem, qui fidelis est, & miseri-
 cordiam miserator Dominus. Dirigat actio-
 nes tuas Rex Regum, in nominis sui gloriam,
 & tam suorum, quàm tuorum hostium con-
 tritionem. Augeat animi & corporis vires,
 atq; intemeratâ sanitate Te confirmet, qui
 Medicus noster est. Justum Te faciat, qui
 Justitia nostra, & sanctum, qui ipsa Sanctitas.
 Exaudiat orationem tuam in cœlis, & auxi-
 lium ferat in tempore opportuno. Protegat
 Majestatem Tuam umbrâ alarum suarum,
 amplificet fines Regni Tui, & contrâ quasvis
 inimicorum insidias fortiter defendat. Libe-
 ret Te ab omni malo Suprema Bonitas; Esto
 Nomen Domini Tibi fortissima turris, ut eò
 confugias & serveris. Esto solatium in tri-
 stitia, refrigerium in anxietate, auxilium in
 calamitate, robur in infirmitate, fortalitium
 in periculis, comes in itinere, arcus in præ-
 lio,

lio, baculus in senio, asylum in vita, medica-
 men in morte. Det Tibi Dominorum Do-
 minus, quæ optat cor Tuum, ut sis bene-
 dictus à generatione in generationem, ut
 videas Natorum Natos, & Pacem super Israël;
 ut lauribus & laudibus, victoriâ & gloriâ
 æternum floreas;

Ut regat immortale Genus, cunctosq; per annos

Stet fortuna Domus, & Avi numerentur Avorum;

Ut deniq; vitæ laborumq; satur, in beatissi-
 ma cœlorum Regna feliciter evoles, post se-
 culare hoc, cum sanctis Regibus, æternum
 celebraturus Jubilæum!

S. D. G.

